





ANTONII DE HAEN
RATIO MEDENDI.

TOMI OCTAVI PARS II,

PARTEM XV COMPLECTENS.

ANTONII DE HAEN,

CONSILIARII ET ARCHIATRI

S. C. R. A. MAJESTATIS,

NEC NON

MEDICINÆ IN UNIVERSITATE VIENNENSI

PROFESSORIS PRIMARII,

RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO.

TOMI OCTAVI PARS SECUNDA,

PARTEM XV COMPLECTENS.

Accedunt ejuſdem autoris EPISTOLA DE CICUTA, nec non TRACTATUS DE MAGIA.

Singula Volumina compacta veneunt 3 lib.



PARISIIS,

Apud P. Fr. DIDOT juniorem, ſaluberrimæ Facultatis Pariſienſis Bibliopolam, ad ripam Auguſtinianorum.

M. DCC. LXXVIII.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO REGIS.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

QUAMVIS parcior rerum prodeat hoc Tomo ſuppellex, gravem tamen eamdem, ni fallor, utiliſſimamque publico eſſe, æqui lectores arbitrabuntur. Priora quippe tria capita obſervationes perpetuant, quas de ope ſubmerſis, ſuſpenſis, atque ſuffocatis, præſtandâ *Parte XIV Rationis Medendi*, nec non *ejuſdem continuatæ Tomo I* in publicum dederam. Adeòne gratam nobis amœnamque putes, quis fortè aggeret, hanc jam tertiò recoctam crambem? Sed revocata daps novâ donatur novis condimentis gratiâ. Et recentiora mea obſervata, & cæterarum nationum præclarum operis promovendi ſtudium, ſtupendaque per idem illarum felicitas, proponenda exemplo erant illis, qui in hâc operâ præſtandâ torpidi, diffici-

les, graves ac ferè deſperabundi, in rerum præclarè geſtarum æmulationem provocandi eſſent.

Præterea me aliud urſit. Solutionem gravis quæſtionis medico-legalis egregii apud *Lugdunenſes in Galliâ* viri dederant, ac ſpectatiſſima ſocietas regia chirurgorum, ut videtur, confirmaverat; quàm cùm repetitis admodùm experimentis partìm incertam, partìm verò oppoſitam, partìmque noxiam deprehendiſſem, æqui verique amor in juriſprudentiæ emolumentum, innocentiæque tutamen latiùs exſpatiari me compulit.

Neque hæc erit ultima linea rerum. Ejus quippe earumdem natura eſt, ut ſuis è latebris rarò nuda prodeat. Si optimus Deus, a quo omnia, & quo ſine nihil, vitam mihi vireſque conſervet, nunquam deero, quin iis opportunitatibus, quas magiſtratus ampliſ-

ſimus, ac practicum Noſocomium, mihi præ cæteris, ad elucidandum promovendumque hoc negotium ſuppeditant, ſedulus utar.

Sed & aliud quid utile hic Liber fortè habebit. Æquè inanes noſtri plus centies labores, quàm felicia in enodandâ memoratâ quæſtione experimenta, manu nos in inſperata naturæ penetralia duxerunt; ac calamitatis cujuſpiam, æquè obſcuræ quàm familiaris, notitiem, naturam curamque, nobis revelaverunt; quemadmodùm *Caput III* docebit.

Tandem *Capitis IV* de dæmoniacis agentis, & utilem eſſe materiem, & ſcitu neceſſariam, omnes, niſi me animus fallit, mecum cenſebunt, quos Eccleſiæ reipublicæque tenet amor. Utique quæ ſunt fidei, hæc fideliter, hæc conſtanter, hæc ad ipſum tutanda propugnandaque ſunt martyrium: quæ retrò credula, quæ ſuperſtitioſa, quæ

religioni ſacratiſſimæ adverſa, indecora, atque probroſa ſunt, hæc patefacere, hæc ſiſtere, confundereque, cujuſque eſt, cui religionis ſplendor, ſalus publica, atque tranquillitas reipublicæ cordi ſunt. Viginti ferè retrò ab annis in hæc invigilarem juſſerat omnium principum terræ religioſiſſima noſtra IMPERATRIX & REGINA, neque ignavè hanc a me excultam provinciam fuiſſe, ad ſingulam, quam ejus occaſionem dederat, erat experta. Operâ meâ, illuſtriſſimique BARONIS VAN-SWIETEN, uti dudùm geſtiebat, ad ſagarum, rogo deſtinatarum examinandam cauſam; lætaque eamdem eòuſque productam, atque elucidatam conſpexit, ut de accuſatarum ſive innocentiâ, ſive ſtupiditate convicta, ne ultra morte ejuſmodi punirentur, lege æternâ ſanxerit. Dæmone autem obſeſſos dictos homines in Noſocomium meum inferri, quo-

tieſcumque tales eſſe perhiberentur, juſſit AUGUSTA; ut, an quid veri hæc turpis accuſatio haberet, probè explorarem. Quid verò deprehenderim, in *Tomo V* hujus operis enuntiavi. Porrò ad oblatam novam ejuſdem tentaminis occaſionem, rem fuſiùs debui pertractare, ut iteratis iiſdem toties experimentis, cuique ſive laïco, ſive eccleſiaſtico, modus explorandæ veritatis tutiſſimus prudentiſſimuſque pateret.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO PRIMA.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO ALTERA.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO TERTIA.

CAPITIS SECUNDI

SEXTIO QUARTA.

CAPUT III.

CAPUT IV.

epistola de cicutâ.
liber de magiâ.



ANTONII



ANTONII DE HAEN
RATIO MEDENDI,
PARS DECIMA-QUINTA.

CAPUT I.
De Submersis.

§. I. *Cur tertio hanc materiam aggrediatur Autor?* §. II. *Laus tùm* Gallorum, *tùm Societatis* Amſtelodamenſis, Hamburgenſiſque *in auxiliando ſubmerſis. Numeroſa apud illos in vitam revocatio.* §. III. *Parca hùcuſque Auſtriacæ Plebis laudatio. Ejus Objectiones, ad eaſque Reſponſa. Cur alibi multis, hîc raris, vita ſuffocata animetur? Cur in Noſocomio etiam deſperatos attingamus? Ut demerſorum res, ſic & ſuffocatorum ſuſpenſorumque ſe habet. Hiſtoria memorabilis auxilii ſub-*

merso admoti, quod principio spem vitæ dedit, turpiter verò deindè neglectum, mortis in causâ fuit. Alia Historia vitæ submersi viri eousque refocillatæ, ut sacris muniri ante obitum potuerit. §. IV. *Infantum recens natorum vita, ubi suffocata est, mortemque simulat, quâ arte revocanda? Argumentum hoc urgetur, luculentoque illustratur exemplo. Vota in* Austriacos.

§. I. QUandoquidem ab aliquot retrò annis quæstio *de revocandâ submersorum vitâ* omnes in *Europâ* φιλάντροπους inflammavit, mearum esse partium duxi tractare eamdem, ipsique adhibere operi manum. Hâc de causâ *Tomi XIII. Rat. Med.* bonam eidem partem dicavi; elapsoque abindè biennio *Tomi I. Rat. Med. continuatæ* alteram partem ad elucidandam hanc utilissimam quæstionem unicè impendi, atque commissos meos in priore errores in posteriore correxi: quo autem mea cùm observata, tùm experimenta, majorem publici in usum cederent, germanicè verti hoc ultimum opus curavi; cujus AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, ac REGINA NOSTRA, vera Subditorum suorum Mater, exemplaria propemodùm CCCC. ad Austriæ

universæ Chirurgos & Balneatores, munificentissimâ suâ manu mitti curavit. Cùm autem inexhausta sit hæc materies, interquiescendum nunquam est à novis experimentis capiundis, ut priorum corrigamus defectus, luce autem novâ illustremus, eamdemque insperatis forsitan ditemus inventis. Quid aliæ Nationes ad salutare hoc institutum contulêre præmittam.

§. II. *Inclyta Natio Gallica*, ab omni noto tempore in commoda non universi tantummodò regni, sed & orbis studiosissima, callidissimaque, egregias Dissertationes prodidit, aptasque his calamitosis succurrendis proposuit leges. Mirificè obsecundavit illis suprema Potestas. Intentaque in suum officium plebs tota reperitur sic, ut per singulas vasti regni provincias reportentur de morte triumphi, utique notiores singulis, quam ut hîc recenseantur. Et nuperrimè die *Martii* octavo ejus quem vivimus anni, juvenis, & *Aprilis* tertiâ die, vidua, incola Gerontrophii, suam de *Sequanâ* extracti vitam à verâ morte servatam, militibus debent, qui in excubiis ibidem, & promptum, & perseverans præsidium tulerunt.

Societas Civium optimorum Amsteloda-

mi collecta, quam planè neſcio quot laudibus cumulem, quot extollam encomiis, quâque verborum ſignificantiâ cæteris populis in exemplum feram, propriâ ſingulorum liberalitate idoneam pecuniam contulit, ut cuicunque, qui ſuperſtitem vitæ auram reſuſcitaverit ſubmerſo, ſeu in eâ Belgii fœderati provinciâ, ubi præmium ſpontè largitur ſuprema Poteſtas, ſeu in aliâ, in quâ necdùm publica remuneratio eſt, ſex aureorum mercedem grata expendat, ne calamitoſis hiſque unquam auxilium deſit.

Diariorum atque Commentariorum hujus ſocietatis percelebris, pluries memini prioribus mei Operis Tomis; jamque quarti Voluminis laudes cano, quod partim ipſius liberali providentiâ, partim populi vigilantiâ & promptitudine, denuò homines xxxvij, qui aliàs certam mortem occubuiſſent, vivos Reſpublica lætetur. Profectò mihi, vitam cliij mortalibus hoc modo, quatuor aut quinque duntaxat annorum curriculo, conſervatam contemplanti, tùm & centies ac quadrageſies præmium ſoſpitatoribus, quos proba judicum locorum teſtimonia muniverant, conceſſum perpendenti, liquido conſtat jam 840 aureos Societatem erogaſſe. Hoc reſciens unus, alter-

que, donum non mediocre voluntarius & ignotus ad ſocietatem uterque miſit. Quid non facit ubi viget, ubi ardet, ſincerus proximi amor!

Societas Hamburgenſis ad animandas cùm artes tùm inventiones utiles erecta, hiſtoriam octo ſubmerſorum, quorum ſex reſtituta adhibitis præſidiis vita fuerit, cum *Amſtelodamenſi* communicavit.

§. III. Invitus & mœſtus de carâ noſtrâ *Auſtriâ* queror. Utinam poſt AUGUSTISSIMÆ munificentiam, ſingulis ejuſmodi ſervatoribus 24. florenorum mercedem promittentis, toties quam alibi, a certo interitu præſervarentur ſubmerſi! Abeſt autem a nobis hoc animi impenſum gaudium. Altiùs irradicatum in vulgi animis præjudicium eſt, quam ut cujuſquam effectus crederent auxilia fore ſua; & quia ſerotinum laborem uſu caſſum lugent, tempeſtivum recuſant.

At verò ultra pergunt. Ut ſuam obvelent inhumanitatem, contendere audent ridiculum planè hic omne molimen eſſe, quandoquidem in Noſocomio practico *Viennenſi*, in quo opus, ſi uſpiam terrarum, tantâ cum diligentiâ, accuratione, frequentiâque exercetur, ne unus quidem revocatus fuerit in vitam. Quan-

tamcumque abſurditatem habeat, injuſtitiamque, hæc aſſertio vulgi, æquitas, veritas, publici boni amor, atque civis boni officium, ad reſpondendum adigunt me ne ultra vel minimum habeant ſuæ barbariæ ſubterfugium.

Ac primò quidem dico, quos ad vitam revocatos publica gentium aliarum teſtimonia perhibent, hos nec diu in undis ſublituiſſe, neque maturo auxilio caruiſſe. Intereà dùm Medici atque Chirurgi advocentur, ſedula plebs mox in amnem dilatis corporibus opem, quam poſſit, omnem admovet, fricando, agitando, irritando, inſpirando, madidas exuendo veſtes, focum exſtruendo, ope fiſtulæ tabacariæ aut aërem, aut fumum tabaci in poſteriora injiciendo; ita ut Chirurgi aut Medici ſupplere ea tantummodò debeant, quibus præſtandis vulgus non erat. Nec nota etiam ſibi corpora deferunt ad eorum ædes, ſed vel in amne locatis, vel in proximas ædes, tuguria, bubilia, ſtabulave, delatis omne conferunt undiquè auxilium, undè multoties in plures diviſum præmium legimus. *Sic Pariſina, ſic Hamburgica, ſic Batava* Acta ſonant.

Jam ad noſtrum nos convertamus Noſocomium. Ad hoc deferuntur corpora,

quæ quot horas, diesve unda texerit, ignoratur; quæ diu in amnem deposita fuêre, intereà dùm per horas ad loci Toparcham eatur redeaturque, ut quid ille de invento corpore jubeat intelligatur. *Viennam* transferendum si mandet, horæ elabuntur priusquam & currus inventus fuerit, & equi, & auriga, qui horæ, qui milliarii, qui milliariorum itinere semiputridum cadaver in Nosocomium practicum deferant. Imò etsi urbi propior, quis fuerit submersus, neque ad ripam juvatur, neque nisi elapsis aliquot horis infertur in Nosocomium.

Si proindè ad vitam revocari unquam vix quisquam videatur, nisi quem aut aliquot minuta duntaxat, aut horæ quadrantem, quod frequenter, aut semihoram, quod rarius, aut horam, quod rarissimè, merserat unda: si prætereà in vitam demersi non redeant, nisi quibus, mox a flumine exceptis auxiliatrix fuerit adhibita manus: si denique plerisque non nisi plurium horarum labore salus redierit: quo demùm pacto velint hi, ut si vel per horas diesve corpora humi jacuerint, antequam deferantur ad nos, aut ne minimo quidem auxilio, aut seriore tantummodò exiguoque præstito; vel si primo tentamine frustrato, omnis

abjecta ſpes, omniſque projectus labor fuerit, quo, inquam, jure ea reſuſcitari in Noſocomio velint? Culpa profectò eorum eſt, quorum fuiſſet ſupremis parere mandatis, & educto protinùs de flumine corpori, tempore modoque idoneis afferre præſidia; opus tunc non habuiſſent ut *Viennam* conferrent exanime corpus.

At verò navatis interim, inquiunt, ſtrenuam horarum plurium operam; corpora delata itaque exanimia non cenſetis: vitæ adeſſe ſcintillam ni ſupponeretis, fruſtaneo parceretis labori. Cùm nunc neminem reſuſcitaveritis hùcuſque, jure, an injuriâ, etiam noſtra inania conamina fore concludamus?

Non attendunt, qui talia fantur, quid toties olim ad ejuſmodi ineptias reſponderim. Quamvis paſſim haud alii revocentur in vitam, quam quibus & protinùs & perſeveranter fuerit admota manus; quia tamen ultima reſtituendi meta necdum demonſtrata eſt; & hiſtoriæne, an fabulæ extant, quæ poſt horas dieſque ſubmerſionis auxilia & ſerotina, & levia, vitam reſuſcitaſſe memorant, inſtitutum Noſocomii eſt etiam attingere deſperatos; ut num inter centenos fortè vel unicus exiſteret, qui hujuſmodi mirandis

hiſtoriis apponeret ſigillum veri, conſtaret.

Neque etiam attendunt ad plura in noſtris contenta relationibus quibus convicti eſſe debuiſſent dudùm, vitam ad omnem induſtriam hominum reſtitui ceptam, demùm in Noſocomio multo cum labore ad ſuum cùm augmentum, tùm ſtabilimentum feliciter ductam fuiſſe; ut vel hinc inutilem omnem noſtrum laborem fuiſſe injuriosè negent.

Tandem haud attendunt iidem ejuſmodi corpora, tantis incaſſum auxiliis, alios in fines exenterari a nobis, quærique in illis verum cauſæ mortis intellectum, quo rectiùs fortè opitulari poſſemus demerſis; peti etiam ex iiſdem quæſtionum medico-legalium ſolutionem, naturas aliorum morborum, & ſic porro, ut brevi patebit.

Cùm jam ſuſpenſorum hominum eadem ſit quæ demerſorum ratio, in repentino auxilio conferendo, noſque nihilominùs iis, eodem modo neglectis, manum admoveamus, etſi vix ſpecula ſuperſit; ſciant hi nos iiſdem de cauſis, quibus ſubmerſorum, etiam ſuſpenſorum corpora attingere.

Redeo itaque ad priora mea monita & conſilia, ut demerſis ſuſpenſiſque,

præceps admoveatur conſtanſque auxilium, eaque novâ obſervatione confirmabo.

Auguſti die nono anni 1772, trium cum dimidio annorum puer, ludens cum ſociis, præceps in *Viennam* labitur ad 5 pomeridianam horam, rapidoque flumine ducentorum circiter paſſuum longitudine vectus, ad quemdam inibi palum ſiſtebatur. Monachus reverendus accurrens, eum flumine feſtinanter eripuit, capite humili, pedibuſque ſublimibus, validiſſimè ſuccutiit, quatefecit, parentumque curavit in ædes referri. Hi actutùm nares & cordis regionem calente aceto fricantes, redeuntem percepêre & calorem & cordis motum. Porrò hæc illi, intereà dùm chirurgus expectaretur: accedens tunc ille, turbamque hominum circa puerum occupatum cernens, abivit. Indè hi ſpiritum meliſſæ, vinumque calidum puero in os ingeſſerunt; excitatam autem vitæ ſcintillam convulſio extinxit.

Hunc caſum non minùs inter fortunatos numerandum eſſe, quam inter infortunatos intelligit facilè quiſque per ſe. Reverendi viri atque parentum ſollicitudine, ſuffocata vita animari manifeſtò viſa eſt; mors autem convulſiva imputanda Chirurgo eſt, qui nec venam tutu-

dit, nec reliqua auxilia ipsi apprimè nota admovit. Profectò est nunc in tantâ luce collocata res, ut quisque eum homicidii reum existimare debeat, qui impositæ cunctis legi non pareat. Et bene qui paruerint, consulent sibi. Ex laudatissimo enim Principum atque Magistratûum, ad hoc opus perficiendum studio, & labore, brevi fore auguror, ut qui huic religionis humanitatisque officio defuerint, quorumque turba multa est, severè puniantur; & si de ipsis non liceat dicere: *Oderunt peccare boni virtutis amore*, dicatur saltem: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Si vigesies, si octuagesies spe frustrarentur, si ex centum duos tresve certò aliàs morituros duntaxat servarent, nonne locupletissimam laboris haberent mercedem? imò si vitam eousque animarent tantùm, ut homo tempus nancisceretur se cum Deo reconciliandi, an hoc solùm non deberet ineffabili gaudio ipsis esse? Porrò ut exemplo id capiant, internectam historiam, quæ cum scripto toto hoc opere demùm contigerit, nullibi appositiùs quam hîc inserere possum.

Hoc ipso quem vivimus anno Julii 4. die, vir atrabiliarius per intervalla sive delirus, sive semimaniacus semet vespere

in profundioris *Viennæ* plagam præcipitat, luctansque cum undis à transeunte homine conspectus, ab illo, aliisque transeuntibus, unco oblongo in ripam trahitur, nulla ultrà exhibens vitæ signa. Hominem tamen diligenter palpant, fricant, ac pedibus sublatis quatefaciunt sic, ut librâ non minus aquæ vomitum ab eó fuisse testentur. Quo viso eum protinùs curant in Nosocomium practicum deferri. In eoque post multa nostra molimina tussis excitata fuit, & alvi copiosus fluor. Continuato autem labore rigoratum ac glaciale corpus primùm recalescere cepit, dein sudore leni madere, per intervalla obdormire, voceque eousque privus homo, intelligentiam annuendo abnuendoque testari. Vox demùm rediit, impossibilisque ferè hactenùs deglutitio: sic ut 17 a submersione horâ alimenta atque medicamenta commodè deglutiret. Ad prima quidem molimina nostra cùm vitæ quædam signa adessent, sacræ Unctionis sacramento eum muniri curaveramus; ad redditam verò & intelligentiam mentis, & vocem, reliqua sacratissima animi præsidia ipsi conferri omnis nostra sollicitudo fuit. Spem tamen integri in vitam reditûs vehementissima oborta Peripneumonia elusit, quæ cunctis auxi-

liis immorigera, hominem ad 38 a ſubmerſione horam ſuſtulit.

Tranſactis 19 a morte horis, Cadaver in pleno cùm Medicorum, tùm Studioſorum conventu luſtravi. Aperto primùm thorace, pulmo lævus lobo ſuperiore purulentum tuberculum recondens, cum pleurâ nonnihil; dexter verò totus & cùm hâcce, & cum mediaſtino, ſeptoque medio, vinculis omninò latis coïvit, craſſiſque iiſdem, fortibus, ac vaſculoſis. Uterque autem ſuperficie anteriore ruber, laterali purpuraſcens, dorſali totâ nigerrimus. Neque in trachæâ, neque in bronchiis, vel minimum aut ſpumæ inerat, aut aquæ; lobi verò in taleolas tranſciſſi plurimum ſanguinis, ac nonnihil ſpumoſi liquoris, compreſſi adhuc copioſiùs fuderunt. Aperti cordis ventriculi valido reperiebantur flavoque polypo repleti, ipſi verò præ inflammationis intenſitate vehementer rubebant, quemadmodùm & tota trachæa, pulmonalis arteria, aorta, lateris utriuſque pleura, pericardium, pleuræque diaphragma tàm qua muſculoſum, quàm qua tendinoſum, ſuccingentis portio, reneſque. Inteſtina bona, ita ut ter injectus fumus tabaci nihil prorſum nocuerit illis. Jecur albeſcens, perque omnia du-

rum. Bilis in vesiculâ amplissimâ erat abundans, atra quidem, verùm diluta potiùs, quam, ut cæterum in atrabiliaris est, spissa, aut, ut aïunt, picea. Primam inter alteramque dextri lateris superioris costam musculus intercostalis, unà cum eâ, quâ cum superscandentibus musculis connectitur cellulositate, profundissimè per omnem suam carnem inflammatus. Sine externis signis cujusquam contusionis haud modica pericranii portio rubicunda fuit. Dura-mater bona: pia solito rubicundior, potissimùm verò in posteriore dextri hemisphærii lobo. In sinu longitudinali polypus flavus. Ventriculi naturales, sinusque. Glandula pinealis ex pluribus indurescentibus corpusculis constabat. Igitur post libras medicas sanguinis quinque sex phlebotomiis homini detractas, tanta adhuc inventa fuit ejusdem in corpore copia, ut universalis propemodùm inflammatio conspiceretur in denato; eamdemque observationem multa nobis suppeditarunt cadavera.

En denuò submersi historiam, quâ 1° constat frictione, corporisque inversi quatefactione, vitæ mortem similantis scintillas jam ad fluvii amnem emicuisse. 2° Hanc vitam nostro excitatam valdè fuisse labore. 3° Itaque submersos ad au-

xilia matura, constantiaque, utut vita penitùs extincta esse videatur, resuscitari presæpè posse. 4° Haud rarò autem contingere ut nobiliores in corpore partes tantâ sive inflammatione, sive convulsione, sive defectione afficiantur, ut aut apoplexiâ, peripneumoniâve, aut epilepsiâ, aut syncope intereant; quorum singulorum ex variis Autoribus plura exempla *Tomo XIV*, *Cap. III*, *pag. 75*, *76*, excitavi; sin verò non moriantur, eosdem aliquandò in morbos seu acutos, seu lentos, non rarò gravissimos difficulterque curandos incidere; quorum exempla, loco mox laudato, eaque ex propriis Nosocomii observatis protuli. 5° Etiamsi nonnulli illorum, quorum vita videatur resuscitata fuisse, post liminio pereant, nihilò secius & laudandos, & divinâ lege imperatos esse revocandæ vitæ latentis conatus: cum quemadmodum ipso eo XIV. Tomo retuli, in *Actis N. C.* in iis *Amstelodamensium*, tandemque in hoc postremo viro, eousque vita sæpius per admota artis præsidia revocata fuerit, ut sincerâ peccatorum confessione, eorumdem absolutione, & sacrâ synaxi se convenienter parare ad beatam æternitatem potuerint; quo summo beneficio desidibus spectatoribus pri-

vati fuissent. 6° Haustam pulmonibus aquam pro maximâ parte resorptam fuisse.

Interim dum de auxilio præstando submersis sermo fit, ex supremæ Potestatis decreto, meisque variis scriptis, liquere manifesto singulis arbitror, & ad suspensos idem officium peti, & ad illos quos aut vini cerevisiæque fermentantis exhalatio, aut carbonum vapor, aut clausorum diu puteorum halitus è vivis videatur sustulisse. Superest unicum tamen, de quo debuissem maturiùs monere plebem, cujusque eam nunc, defectum meum correcturus, monebo.

§. IV. Infantum recens natorum simulatam mortem volo; quibus si debitam tulerimus opem, vitam profectò non paucis rediisse lætabimur. Cunctorum Obstetricantium libri si fortunatis exemplis abundant, multò magis, si plura auxilia nunc, eaque diuturniora, iisdem admoveantur, abundabunt. Præivit laudabilissimo exemplo egregius in *Palatinatu* Embriulcus, qui nonâ proximè elapsi *Aprilis* in oppido, aut pago *Lampertheim*, infantem, quem post uterinam 14 dierum hæmorrhagiam vertendo eduxerat, mortuumque crediderat, quia tamen ex repletis funiculi vasis nondùm exsanguem esse concludebat, in vitam

planè reſtituit; tantâ quidem cum patientiâ atque ſedulitate, ut poſtquam infanti, in tepido balneo vinoſo hærenti, ſuum exſpiratum aëra cautè inſpiraſſet, frictuque ventrali artificialem reſpirationem creaſſet, primordia demùm vitæ, poſt quadraginta minutorum laborem advertere ceperit, ac integram vitam brevi renatam gaviſus ſit. Conamina fiunt fateor, vario Obſtetricum artificio, aëriſque inſpiratu, ſed vel non clauſis naribus, aër ore inſpiratus naribus exſpiratur; vel poſt aliquot inſpirationes, frictioneſque fruſtraneas, citò deſperatur. Si *Palatinus Obſtetricans* poſt inanes quadrantis horæ inſpiratus, ſi poſt mediam horam, ſi poſt mediam horam mediumque quadrantem horæ defeciſſet, mortuum eſſe infantem & ille & reliqui crediſſent, mortuuſque manſiſſet infans, quem nunc vivum ſalutavit laboris conſtantia. Utinam quæquæ Obſtetrix, plebſque univerſa, de utilitate hujus experimenti convicta, nullam unquam negligeret ejus faciundi occaſionem! Utinam demùm non modò in hiſce infantibus, ſed etiam in ſubmerſis, in ſuſpenſis, inque ſuffocatis, quid ab homine ſingulo divina, quid politica lex, proximi exigat amor; quamque reum coram divino TRIBUNALI hominem hu-

jus neglectus ſiſtat; omnes verbi divini præcones frequenti urgenteque ſermone, tam ex ſuggeſtu, quam oſtiatim, parochianis inculcarent! Non eſt quod dubitemus, quin mota convictaque populi conſcientia cunctis hiſce miſeris efficaciùs conſuleretur.

Profectò hi, ſi in viâ deficientem fame hominem offenderent, quâ animi commiſeratione non convolarent, hanc extinctam penè vitam conſervaturi? Quod ſi quis illorum aptum in penu gerens cibum, porrigere illum deficienti præfractè negaret, quam hujus deteſtarentur crudelitatem! Quam indignabundi hoc ab illo non extorquerent alimentum! Hocque hominis ſimulacrum, quamdiù feram animam traheret, propalàm diffamarent! Se porrò ſeriò reſpiciant ſitos ad fluminis amnem dum recens ex eodem educitur ſubmerſus: auxilia præſtò habent, quæ ſi adhibere recuſant, æquant profectò, ſi non ſuperent illius qui cibum habebat & negabat immanitatem; neque homicidii crimine ſe minùs eo fœdant. *Non paviſtis*, inquiebat *B. Cyprianus* divitibus qui in annonæ caritate non ſubvenerant indigentibus, *non paviſtis: occidiſtis.* Jure illis dicere poſſumus: *Non juviſtis: occidiſtis.* Meritò in Sacer-

dotem atque Levitam invehuntur, qui ſauciatum in viâ *Jerichontinâ* hominem, quantum ipſorum fuit, prætereundo occiderunt; ſummoque, qui ſemimortuum curaverit Samaritanum, proſequuntur amore: abeſſe utique non poſſunt, quin ſeſe demerſum prætergreſſos, & inhumano Sacerdoti, & barbaro Levitæ, conſimiles eſſe cum fateantur, tum erubeſcant.

Monui mox lubenter nos ſubmerſorum, ſuſpenſorumque corpora in Noſocomium admittere, quod, irrito revocandæ vitæ labore, gravium aliarum quæſtionum ſolutionem, morborumque minùs cognitorum notitiam quæramus: ad has ambas nos in ſequentibus Capitulis accingemus.

CAPUT II.

An in Criminalibus certiſſima ſigna extent, quibus inſtructus Magiſtratus infallibiliter diſcernat, ſit ne quis vivus, an mortuus, in flumen præcipitatus.

Regula certò diſtinguendi ea creditur eſſe ſpumæ craſſæ, flavæ ſubindè, atque tenacis, copia major minorve in

animalium repertæ pulmonibus, quæ viva, aut ipsa sese, aut alii, præcipitia in undas dederunt. Rejicere hanc regulam cogimur propter experimentorum contrariorum evidentiam; quæ cum 1° ex eorum anatome petita sint, qui vivi essent submersi; 2° ex eorum anatome, qui post mortem essent in undam præcipitati; 3° ex anatome hominum, qui quolibet communi mortalibus morbo vitam cum morte commutarunt; operæ pretium erit hoc Caput in totidem sectiones dividere, quæ singulæ singulorum anatomen tradant.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO PRIMA.

§. I. *Laus Tractatûs de hâc quæstione editi* Lugduni Gallorum. *Causa memorabilis ob quam editus fuerit.* §. II. *Assertio autem, hujus Tractatûs basis, ostenditur experimentis necdum sufficientibus inniti: numerosa experimenta nos fallunt, ubi opus numerosissimis est; imò aliquandò ne tunc quidem veritatem propalant. Textus* Salomonis *hùc facientes. Defectum laudati Tractatûs conabitur suis supplere experimentis Autor, eâ spe, fore ut defectus*

utriusque suppleant alii. Cur non contractas hîc, sed integras historias anatomes dederit Autor? §. III. *Exempla deficientis liquidi spumosi in pulmone demersorum. Vindiciæ Autorum, qui in demersorum pulmone hanc aquam negarunt: quâ tamen in re peccarunt? An corporis inversi succutio aquam omnem excutere de Pulmonibus possit? Negatur.* §. IV. *Juvencula* Lugdunensis *mori a submersione & citra inventam hanc aquam potuit, & simul à spasmo, Tracheæ strangulatione.* §. V. *Aqua potest pulmonem non subiisse videri, & reverà tamen indubitatoque subiisse.*

§. I. TRactatus eruditus, numerosisque experimentis dives, nuper *Lugduni Gallorum* prodiit, cui titulus: *Experimenta & Observata de mortis in Demersis, nec non comitum symptomatum, causâ, instituta coram Deputatis Scholæ Regiæ Lugdunensis, ad Brutorum Medicinam erectæ, Deputatorum eorumdem testimonio confirmata, & ab Academiâ Regiâ Chir. laudata: Autoribus D. D. Champeaux & Faissole.* Germanico idiomate an. 1772 *Dantisci* prodiit. Occasionem dedit *Lugdunensis* puella *Claudina Rouge*, quæ die 25 *Junii* 1767, *horâ* 9 *vesp.* felem suam

quæſitura, paternis ædibus exeuns, nunquam redierat. Die 30 Junii *Rhodanus* ad ſuam ripam, 18 ab urbe *Lugduno* lapide, ſubmerſum corpus depoſuit, quod a parentibus neceſſariiſque *Claudinæ*, eò ad rumorem convolantibus, toto habitu, veſtibuſque, illius eſſe corpus, ſine ullâ hæſitatione, affirmabatur. Judicis loci juſſu Chirurgus legalem jubetur facere anatomen, qui in ſuâ ad judicem relatione ſuſtinuit non ſubmerſione, ſed violento laqueo ſtrangulatam *Claudinam*, dein præcipitem datam in *Rhodanum* fuiſſe, eo quod laquei ſignum, ſtriam rubeſcentem circùm collum, conſpicere ſibi viſus eſſet. Corpus dein ſepultum fuit.

Lugdunenſis Prætor vigilantiſſimus miſit duos celebres urbis Chirurgos, eos ſcilicet qui Diſſertationem hanc conſcripſerunt, ut effodi ſepulchro cadaver curarent. Hoc fecêre 10 Julii. Clari hi viri, cùm putredo totum corpus externum deturpaſſet, externa quidem mortis violentæ ſigna, quæ ante 10 dies Chirurgus loci cum teſtibus ſe vidiſſe teſtatus erat, ſe nulla quidem deprehendiſſe declararunt; at verò cum encephali vaſa valdè turgida ſanguine, & pulmones citra vel minimum aquæ in ſe incluſum, indigeſtamque cœnam in ventriculo repe-

riissent, censuerunt *Claudinam Rouge* brevì post cœnam violentâ morte, (& ut postea censuerunt) strangulatione, peremptam, in *Rhodanum* præcipitatam esse. Haud impiger ad hæcce Judex, quamdam fœminam, & ancillam, nec non fratres *Perra* vocatos, stupri suspicione, in carcerem conjecit. Scriptitatum mox adversùs nostrorum Chirurgorum sententiam fuit, cùm à Jurisconsulto, captivorum patrono, tùm etiam ab aliis Medicis & Chirurgis. Acriter nervosèque defendêre duo illi viri suam sententiam, atque ad eamdem statuminandam sedulitate, patientiâque tantâ, experimenta in canibus vario ac multiplici artificio cùm submersis, tùm suspensis fecerunt, ut negotium totum se confecisse crediderint, ac citra hæsitationem asseruerint: 1° Submersos mori ab aquâ inspiratâ, spumosâ factâ ex suâ cum aëre & transsudante pulmonum muco commistione; suâque mole sic aëreum pulmonum spatium universum implente & extendente, ut transitus sanguinis per eosdem penitùs sistatur. 2° Deficiente in demersis hâc aqueâ spumâ pulmonis, certò id concludi oportere, quòd mortui aliundè in aquam projecti fuerint. Adeòque *Claudinam*, hâc aquâ spumosâ in pulmone carentem,

mortuam fuisse priusquam *Rhodani* incola fieret. 3° Suspensorum mortem apoplecticam esse, ut encephali eorumdem docuissent infartus; apoplecticâ autem morte puellam periisse, eo quod & ejusmodi infartum vasorum caput haberet, & quod præterea non illi, sed qui decem anteà elapsis diebus cadaveris inspectionem Judici retulisset Chirurgus, vestigia laquei circùm collum, & linguam ad duos digitos latos extra labia exsertam deprehendisset. 4° Nunquam suspensos gerere hanc spumosam in pulmonibus aquam. 5° Submersos nunquam linguam extra os prolatam habere, nec omnes suspensos; sed illos solos, quos laqueus infra cartilaginem scutiformem strinxerit. 6° Partes corporis, ut brachia, femora, collum, à morte fortiter constrictas, vestigium quidem servare pressionis, haud verò ullum aut excipere, aut relinquere eodem in loco ruborem: hunc impressionis ruborem in *Lugdunensis* juvenculæ sextâ a submersione die adhuc perstitisse, & illatæ per strangulationem mortis testem irrefragabilem esse.

§. II. Si omnia hæc sic se haberent, ut hi, quos veneror, viri censuerunt, opem multam eamque laudabilem foro juris contulissent, multaque dubia ictu citiùs

inter

inter Medicos & Jurisconsultos dispulissent. At verò priusquam hæc in leges artis cudantur, (quò enim aliò horum autorum, censorumque conamina tendant?) dabo hîc experimentorum meorum plura, quæ cum illorum experimentis collata, & sincerissimè comparata, forsan hanc illis, quam olim mihi confessionem extorquebunt, quòd conclusio ex experimentorum numero insufficiente petita, propriæ famæ inimica, arti nostræ noxia, ac veritati odiosa sit. Insufficientiane dixero quæ numerosa ediderunt, quæ idem perpetuò clamantia notaverunt experimenta? Nisi, ut in multis aliis difficilioribus negotiis, ita & in hocce, post numerosiora sanè experimenta, quam clari hi viri fecerunt, proprios detexissem errores, ex necdum sat numerosis experimentis natos, monere erroris illos non auderem; jam verò dùm de re summi momenti agatur, audeo, debeoque. Autoritate *Plateri*, *Wepferi*, *Walschmidii*, *Beckeri*, *Dethardingii*, *Senaci*, quanta in hâc quæstione nomina! evidentiâ quoque experimentorum, semel in submerso homine, decies ac nonies in submersis canibus factorum fretus, audax censui ita carere deglutitâ aquâ ventriculos submersorum, ut qui

ultra id affirmarent, ne audiendi quidem forent. Interim occiſorum hunc in finem canum meorum trigeſimus ſeptimus, trigeſimus octavus, & omnium maximè quadrageſimus, atram in quâ ſubmerſi fuerant aquam ventriculo eorumdem hauſtam eſſe monſtrabant. Centena mea fortè ad naturam ſanguinis, atque urinarum, indagandam experimenta videbantur mihi ad concluſionem irrefragabilem pluries duxiſſe; at verò quotieſne palinodiam canere nova me experimenta compulerunt? ſic nobiſcum in re phyſicâ limitatiſſimis comparatum eſt. *Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone.* Eccl. 1. *Vidi afflictionem quam dedit DEUS filiis hominum ut diſtendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus eſt DEUS, ab initio uſque ad finem.* Cap. III. *Et intellexi quod omnium operum DEI nullam poſſit homo invenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole; & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat. Etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Cap. VIII.

Interim cùm Medici, atque Chirurgi, in operum Dei contemplatione perpe-

tuò verſentur, eorumdemque cognitionem in uſus convertere humanos obligentur, reperiunt ſeſe in eorumdem operum perquiſitione neceſſitate inevitabili perpetuò innexos; philoſophiæ autem, ac medicinæ omnium ſingulorum erroribus jugiter monentur, ne quidquam in humanos uſus concludant unquam, niſi experimenta a centenis centies repetita idem perpetuò clamitent. Hinc quæ amicorum Gallorum experimentis deſunt, meis ſupplebo, brevi & illorum & meorum ingentes hinc indè hiatus amici alii explebunt, præproperas delebunt concluſiones, ſerique demùm opus non perficient, ſed emendabunt, augebuntque nepotes.

In referendis porrò meis experimentis lectorum haud paucis diſplicebo, cùm non ea modò enarraturus ſim quæ directè ad rem pertineant, verùm hiſtoriam ſingulorum totam, cum universâ anatome, ſim traditurus. Conſiderent autem hi duplici de causâ me ad hoc cogi; primò, ut prævertam omnes cavillationes, atque ſubterfugia, quæ ad plauſibilem difficultatum explicationem qualemcumque, conjecturalem planè atque illegitimam quæri poſſent, ſi integra ſingulorum hiſtoria deſideraretur. Secundò,

ex varietate phænomenon, quæ noſtra experimenta hucuſque habent, conabor peculiari capite morbum quempiam, eumque notabilem quidem atque frequentem, obſcuriorem tamen, & multis ignotum, ſic illuſtrare, ut ex incertis certa, quod paradoxon, eruantur. Hinc forent ſingulæ hoc capite traditæ hiſtoriæ magnam partem de integro in altero capite repetendæ; quod cùm lectoribus onerosum atque tœdioſum foret, malui ad ſemel traditas in hoc capite enarrationes integras referre, quam eaſdem in futuram morbi cujuſdam elucidationem remittere: quibus interim omnis illa diſplicet enarratio, legant modò illi quæ litteris italicis exarata, filum hiſtoriæ continuatum dabunt.

§. III. Puerum cujus hiſtoriam Cap. 1, §. IV dedi, poſt conſuetos reſtituendi labores incassùm admotos, aperui horis 25 a ſubmerſione elapſis. Dura mater omninò naturalis; pia non nihil rubicunda: ventriculi vacui omnes; plexus autem choroidei ſolito turgidiores. In ſinibus lateralibus ſanguis admodùm paucus. Motu ſectionis, & agitationis abdominis, liquidi quid ore proſiliit; quale quid etiam in vitæ revocandæ tentamine obſervatum fuerat, non modò hîc, ſed in pleriſ-

que ejusmodi factis tam in bruto, quam in homine tentaminibus. Colon valdè; inteſtina tenuia leviter rubicunda. Ab aëre ſolo valdè turgebat ventriculus. *Nec in aſperâ arteriâ primùm firmiter conſtrictâ, ne quid efflueret, neque in bronchiis ulla ſpuma; imò ne perſciſſi quidem pulmones, multùmque compreſſi, vel minimùm ſpumoſi fudêre liquoris.* Vacuus cordis thalamus uterque. Aorta ad cor vacua. Parùm ſanguinis in venâ cavâ. Ter venæ ſectionem inter reſuſcitandi labores tentantes, vix unicam ſanguinis unciam colligere potueramus, poſtmodùm autem ex ſingulâ fluxerat corpore agitato aperturâ, tenuis, atro-ruber, nec vel minimùm, etſi diutiùs repoſitus, concreſcens. *Tom. I. Rat. Med. cont. part. 2, pag. 211, 213, duobus in canibus aquâ ſubmerſis; & maximè, pag. 288 & 289, in tertio cane, aquam ſpumoſam vix habuit pulmo.* Indè capimus egregios viros aliquos qui aquam ſubire pulmonem in demerſis negârunt, in cadavera ſimilia incidiſſe, quæ huic puero, quæ hiſce conſimilia fuêre brutis. Undè liquet non eſſe, qui hoc negarint, aut negligentiæ, aut malitiæ inſimulandos; præcipitantiæ tamen taxandos eſſe, quod ex unâ alterâve anatome id concluſerint, quod pluribus pri-

mùm experimentis fuiſſet explorandum.

Quæret forſan aliquis, cùm puer hic a reverendo monacho pedibus in altum ſublatis, ac declivi capite quatefactus ſit, an non aqua delabi ſic è pulmone potuerit, ut in anatome is eâ orbus apparuerit; & an non propterea hoc exemplum malè affertur, ad improbandam ſententiam de ſubmerſorum morte, ab aquâ pulmones ingreſsâ?

Non putem: primò, vir reverendus teſtatur ſe non vidiſſe hâc corporis ſuccutione aquam ore naribuſque prodiiſſe. Secundò, canes non paucos eodem modo ſuccuſſimus, aquam ipſam ore elabi vidimus, & nihilominùs ſpumosâ aquâ ſcatere conſpeximus pulmonem; undè aquam hanc aut gulæ, aut ventriculo, aut utriſque profluxiſſe cenſeo. Tertiò, aqua ſpumoſa ſi inverſi corporis ſuccuſſu eliminari potuiſſet, multò id faciliùs copioſiùſque per noſtras preſſiones cùm variatas, tùm diuturnas univerſi thoracis contigiſſet. Sed his ipſis compreſſionibus ore & naribus aliquandò ſpumoſum liquidum expreſſimus, & nihilominùs penetratos aquâ invenimus pulmones: penitùs ſe inſinuâſſe aquam, & intimiùs ſe commiſcuiſſe cum mucosâ atque tenaci viſceris materiâ, quam ut per hos motus

omnes eliminaretur censemus: quod jamdudùm observavit eximius *Tissot* in libro dicto : *Avis au peuple pour sa santé.* Undè quoque in *Lugdunensi tractatu p.* 244 asseritur « hoc spumosum liquidum nulli » defuisse submersorum pulmoni, sive » protinùs, sive post diuturnam putrefac» tionem animalium examinaretur : imò » neque post diu suspensos quidem humili » capite canes, neque in pulmonibus sub» mersorum transcissis diuque aëri exposi» tis, unquam hanc spumosam aquam de» fuisse. »

§. IV. Exempla igitur adsunt deficientis in submersorum pulmone spumosæ lymphæ, qui nihilominùs, hâc deficiente, submersione solâ perierunt. Potuit *Lugdunensis* juvencula horum è numero fuisse, adeòque solâ submersione periisse : periisse autem in aquâ, non submersorum, sed strangulatorum more ; spasmus enim, sive terrore, sive undarum frigore natus, glottidemque claudens, funis vice perimere submersos potest.

§. V. Sed longè mirabiliora vidimus. *Tom. I. Rat. Med. cont. part.* 2, *a pag.* 289 *ad* 290. Spuma aquosa deerat canis nostri xxxviij pulmoni, eumdem subierat tamen. Copiosâ atramenti fœce aqua sordescens, relictis in totâ aëreâ visceris

ſuperficie grumis craſſis, copioſiſque, procul dubio in ſemimortuo animali abſorpta fuit in vaſa ſanguinea : ſic ut perſciſſo in lamellas pulmone, hujus ſeri ſpumoſi exprimi nihil omninò potuerit.

Itaque cùm ex §. *II & III.* conſtet & homines beſtiaſque ſubmerſione perire aliquandò non inventâ pulmonis aquâ, & aquam ſubire pulmonem poſſe, citrà ejuſdem a morte præſentiam ; evidens fit generaliorem debito ſententiam de abſolutâ neceſſitate aquæ ſubmerſorum pulmonem replentis, magiſtratibus in alias mortis cauſas inquirendi fruſtraneum faceſſere negotium poſſe.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO ALTERA.

Anatome corporum laqueo ſtrangulatorum, quorum varia dedit phœnomena anatome, variumque experimentorum effectum.

§. I. *Experimentum primum hominis laqueo ſuſpenſi, deindè in aquam præcipitati, cujus pulmo nullum liquidum ſpumoſum habuit.* §. II. *Experimentum alterum quod aquam hanc ſpumoſam præſentem ſiſtit.* §. III. *Tertium expe-*

rimentum ſecundo ſimile. §. IV. *Ut & experimentum quartum.* §. V. *In experimento quinto, non factâ demerſione ſtrangulati, aqua ſpumoſa deeſt.* §. VI. *Sextum ſimile quinto.* §. VII. *Concluſio ex hiſce experimentis.* §. VIII. *An per tria laqueo ſuffocatorum experimenta id conficere quis poſſit, quod ſpumâ careat pulmo horum? negatur per experimenta aliorum.*

§. I. Priore ſectione conſtitit in eorum pulmone, qui vivi merſi fuerant, aliquandò aquam defuiſſe, adeòque limitandam eſſe famoſam, circà quam verſamur, opinionem: hâc ſectione alteram ejuſdem opinionis partem, quæ in nullius poſt mortem in aquam jacti pulmone aquam ſpumoſam reperiri poſſe ſtatuat, plurimùm limitabit anatome.

In quodam ſuburbio homo quadragenarius, duro labore victum quæritans, toroſus, taciturnus, jam ob panaritium domi reſidere coactus, poſtquàm horâ ſemiprimâ optimè comediſſet, ſapientemque miſcuiſſet cum ancillâ ſermonem, elapſis abindè horâ & horæ quadrante, laqueo ſuſpenſus invenitur. Accurrunt ad ancillæ clamorem quotquot in ædibus erant, ſed relinquunt ſuſpenſum. Chirurgi famuli, abſente magiſtro, vo-

cati, ſpectaculum vident, abeuntque. Tandem ad horam pomeridianam quartam vice-judex cum chirurgis accedens, curat corpus laqueo ſolvi. Inanem fore in obrigeſcente jam corpore laborem, quem lex jubet, arbitrati, illud in noſocomium practicum, ut reſuſcitetur, conferri curant, horis fortè quinque a ſuſpenſione elapſis.

Collum veſtigia geſſit pollicem lata loramenti coriacei rigidi, quo ſe deſperabundus ſuſpenderat, & quod craſsâ fibulâ ad occiput nexerat. Loramentum ſub cartilagine cricoideâ principium compreſſerat tracheæ. Ruberrima erat tota, quam ſtrinxerat, pars colli anterior, pollicem lata. Lingua non exſerta. Os firmiſſimè clauſum. Valdè magna & dura glandula thymus.

Quamvis hîc nihil ſpei ſupereſſe videretur, tamen, neſcii quid præter expectationem contingere nonnunquàm poſſet, ea quæ tentata a nemine fuerant tentare apud animum ſtatuimus, & integro trihorio conſuetos noſtros, prioribus tomis recenſitos, adhibuimus fruſtrà conatus. Cadaver per noctem frigidâ in caveâ repoſitum fuit, ſequenti mane in noſocomium relatum, ibique in paratum ad id balnei inſtrumentum præcipitatum,

ſic, ut bihorio in aquâ ſubmergeretur; abſterſum deindè coram ſummi prætoris delegatis, diſcipulorumque compluribus, apertum fuit, a capite initio facto.

Utraque meninx ſanguine infarta, copioſuſque ſanguis inter utramque effuſus, tenuis, niger, idque ubique quidem, potiſſimùm autem ad lobum poſteriorem dextrum. Ferè vacui ventriculi cerebri omnes. Vix in ſinu longitudinali, vix in ſinibus occipitalibus lateralibuſque ſanguis fuit.

Neque collapſi pulmones fuêre, neque multùm tumidi, colore autem purpurei, peripneumonicorum more. Ligatâ a principio trachæâ, ne quid efflueret, nihil in eâ, nihilque in pulmone ſpumoſæ materiæ. Parùm utroque in corde ſanguinis. Sed hic, & omnis ille, qui ex majoribus vaſis collectus, & in linteaminibus ex venis tunſis defluus, nec non ille qui ex venâ ſectâ fuit in vasa exceptus, vel hilum conſiſtebat, pultem atram tenuemque referens. Inteſtina omnia ubique purpurea.

Ut pueri ſubmerſi anatome adverſæ fuit ſententiæ, quam examinamus, defectu ſpumoſæ pulmonum lymphæ, ita hæc ſuſpenſi per omnia favet, cùm pulmonis ſiccitate, tùm infarti ſanguine encephali.

§. II. Octo ab indè transactis diebus, in alio suburbio se suspendit fœmina crassa, torosa, procera, circiter quadragenaria, maritata, a novem annis separata, eidem haud ita pridem rejuncta. Malè habere ceperat 28 *Oct.* sequenti die pejus. Ex suburbio venit in oppositam urbis plagam ad chirurgum venam tundenda, domumque cum marito redux, impransa lectum petiit; vesperascente die domum exiit, nocte latuit, & rubescente aurorâ laqueo suspensa inventa est ad $6\frac{1}{2}$ horam. Quamdiu pependerat, incertum. Solvebatur laqueo, sed sine ullâ ope relicta est, & gestatorio in nosocomium practicum ad horam decimam illata. Attulêre & laqueum nobis; linteamen scilicet longum, quatuor pollices latum, non contortum, non latiùs tamen quam trium linearum vestigium relinquens, necans autem, licet genibus ferè flexis pendere debuisset. Strinxerat collum eo cavo, quod suprà cartilaginem scutiformem est. Lingua exerta inter labia prominebat. Molimina nostra consueta adhibituri, licèt frustranea crederemus, pro consuetudine fuissemus, nisi fœdatum cruore corpus delegatos prætoris expectare suasisset, ut iisdem præsentibus examinaretur an non priùs vulnerata, ac dein

ſuſpenſa fuiſſet. His demùm elapſo quadrihorio ſe ſiſtentibus, conſtitit omnem illum ſanguinem ex pertusâ pridiè venâ profluxiſſe.

Cadaver tunc, quemadmodùm priùs, aquâ ſubmerſi ſeptem minutorum ſpatio, deterſumque cultro ſubjeci, à capite orſus. Oculi necdùm corrugati erant, opacari autem modicè cepti. Utraque meninx utcumque rubicundior ſolito. In frontis interni dextro cranium aſperius fuit, & oſſicula duo immerſa in durâ matre cum eâdemque concreta, & in piâ matre ſimile officium eâdem in plagâ inventum. Nulla ſigna læſionis externa. Ventriculi cerebri ſuperiores nonnihil lymphæ habuêre, vix tertius, nihil quartus. Plexus choroidei naturales. Modicus admodùm in ſinibus lateralibus ſanguis. Neque aut fractæ colli vertebræ, aut diſlocatæ.

Pulmo lævus membranaceis vinculis fortiſſimis cum pleurâ coivit, pluribus atque latis in plagis, pede autem equino ſuo cum diaphragmate; dexter autem liber omninò fuit. Ruberrimus uterque, minimèque conſidens. *Tracheæ principium planè vacuum, album. Lobi pulmonum agitati nihil detumuêre, tranſciſſique in tomos ultrà quadraginta, tantum ſpumoſæ, ejuſque ex rubro albeſcentis atque tenacis*

lymphæ, cùm ſpontè, tùm compreſſi, manârunt, ut nunquam abundantiùs demerſorum aut hominum, aut animalium pulmones fuderint.

Colon inteſtinum leviter, ileum multùm, jejunum plurimùm inflammatum, imò præ inflammatione nigrum. In hujus jejuni inteſtini duobus in locis nidi erant teretium vermium copioſorum, viventiumque. In altero nido materies glutinoſa purpureaque inventa eſt, in altero copioſior ex flavo alba. Lumbrici & in colo.

In ſubmerſi pueri cadavere *Cap. II, Sect. I*, §. *III*, nulla ſpuma inventa eſt; in cadavere viri ſuſpenſi *Cap. II, Sect. II*, §. *I*, quem mortuum bihorio merſeramus, nulla aqua pulmones ſubierat. In fœminâ hâc ultimâ, poſt laquei ſtrangulationem demersâ per $\frac{1}{8}$ horæ, tantùm ſpumoſi liquidi profluvium prodiit ex pulmone, ut ex iis quos vivos unda merſit nunquam abundantiùs. Nulla ſigna hîc apoplecticæ, ſed verè peripneumonicæ mortis. Ergo cuncta hîc gallorum virorum ſententiæ adverſantur.

§. III. Nuncius cujuſdam civitatis, per octiduum in quodam diverſorio *Viennenſi* moratus, nunquam niſi ebrius ibidem conſpectus, *die 9 Februarii 1773*,

malè ſe habere dixit, jacuit in paleario; die ſequenti, ad 3 matutinam, aurigis mercatorios ſuos currus ad iter accingentibus ſe immiſcuit, ſed elapsâ vix mediâ exindè horâ, de cujuſdam currus mercatorii brachio adeò humili ſuſpenſus invenitur, ut digitis pedum humum, genua flexus, contingeret. Depoſito chirurgus venam confeſtìm ſecuit, & corpus gnaviter fricuit. Curâ judicis allatum corpus eſt in noſocomium horâ $6\frac{1}{2}$.

Venam ſecuerat chirurgus, nos illicò pariter. Obſervaveramus in ſubmerſorum ſuſpenſorumque pleriſque ſanguinem ad factam aperturam pleno jactu protinùs proſilire, mox verò penitùs quieſcere; idem & hîc contigit in altero brachio, inque jugularium utrâque: ita ut vix unciam ex omnibus ſimul ſumptis colligere potuerimus, vix dicam ſanguinis, potiùs aquæ profundè rubræ, nec eo, nec ſequenti die, vel minimum coeuntis. Reliqua auxilia pro more, uti quoque tria larga fortiaque veſicantia, frictis aceto plagis admota ſunt, & fervens cataplaſma veſicantibus circumpoſitum, laborioſèque renovatum.

Quo autem ſanguis uberiùs flueret, magni *Trilleri* exemplo crura in ferventem aquam immitti, alteramque poſt al-

teram pedum venam tundi curavi : extrà aquam vix tantillùm, in fervente verò aquâ abundantiſſimè ſanguis fluxit. Qui pauculus fuerat vaſe exceptus, tenuis ille, nec concreſcens unquam; qui in aquâ, ne minimum quidem grumum formaverat, ubi aliàs, ſi v. g. ex brachio profluum cruorem in aquam ferventem exceperis, tenax coagulum vides. Intereà dùm ſanguis in ferventem aquam de pedum venis fluebat, prorupit pariter de juguli ac brachii utriuſque venis, longèque poſtmodùm, ſic ut tandem venæ hæ obligandæ eſſent. Sex horarum impenſa in hoc corpus opera fuit.

Anatome ad quartam pomeridianam, poſtquam corpus fuiſſet per horam ſubmerſum. Duplici fune ſuſpenderat ſe homo, funiſque eum locum conſtrinxerat, qui ſuprà thyroideam cartilaginem eſt, ſic ut os hyoidis & linguæ radicem ad vertebras apprimeret, & epiglottidem glottidi fortiter admoveret.

Veſicantia ſeptem horarum ſpatio nihil egerunt. Aperto corpore, attenti notavimus omnem illum qui totâ ſectione effluxit ſanguinem non niſi rubellum fuiſſe, citrà cohæſionem vel minimam, liquorem. Meninges ambæ naturales, adſtabant tamen, qui pluſculò rubere eaſ-

dem censebant. Medulla transcissa solito pauciora puncta rubra ostendit. Multus liquor in ventriculo superiore dextro, nullus in ceteris.

Cor dextrum fluidi sanguinis tantillùm, nihil dextrum habuit. Aorta vacua in abdomen usque, ejusque in initio principium osseum. Pericardii superficies interna leviter rubuit. *Pulmo sinister & cum universâ pleurâ, & mutuos inter lobos, concretus; dexter liber omninò: neüter concidit. Uterque numerosâ divisione transcissus, aquam albam, spumosam fudit abundantissimè: eadem & trachæa & bronchia scatuerunt.*

In abdomine inflammatio ingens, ferè universalis, intestinorum tenuium, sic tamen ut portiones aut æquales spithamæ, aut eâ longiores, vel nihil, vel pauxillum tantùm inflammatæ essent: occupabatque eadem inflammatio fimbriæ mesenterii portiones, notabilem peritonæi partem, omnium autem maximè pancreas & duodenum; penitùs enim nigrescebant: nec ab eâ ventriculus immunis fuit. Mirabilis coli & ventriculi figura, tabulâ potiùs quam sermone explicanda est. Et in ventre & in thorace viscera valdè calebant, horâ licèt decimâ tertiâ a

morte elapsâ, & corpore horæ ſpatio in frigidâ aquâ poſito.

In hoc corpore notamus 1° in ſuſpenſo deeſſe apoplexiæ ſigna, adeſſe ea peripneumoniæ. Hoc tamen minùs hîc urgeo quoad apoplexiam : faciliùs enim encephalon, quam pulmo, revulſionem pati, a tanto ſanguinis, quantum hîc contigit, profluvio potuit. 2° Aquam copioſam à mortui hominis pulmonibus hauſtam. 3° Ingentem & horrendam inflammationem viſceribus inhæſiſſe abdominalibus. 4° Iterùm hîc, ut in ſubmerſis ſuſpenſiſque aſſolet, ſanguinem tenuiſſimum fuiſſe. 5° A fervidâ aquâ mentitum circulum cruoris obſervari poſſe.

§. IV. Homo mediæ, ut videbatur, ætatis, pugnax, caput a quatuor retrò ſeptimanis malleo percuſſus, ex eoque tempore triſtis, ac ſtupidus, *die 11 Febr. 1773*, jubebatur à diverſorii hoſpite, cui famulabatur, quidquam quærere in granario, horâ circiter quintâ pomeridianâ, & cùm bihorio retardentem quærunt, invenêre ſuſpenſum. Nihil auxilii ipſi præſtitum eſt, ad undecimam autem noctis vectus in noſocomium fuit. Conſueta auxilia admota ſunt trihorii ſpatio. Nullus ferè ſanguis ſive ex brachiis, ſive

ex venis fluxit jugularibus, five ex locatorum in ferventi aquâ pedum venis; quique paucus excipi in vafculum potuit, tenuis ille omnis fuit, nec morâ coiit. Injecti in gulam liquores defcendere in ventriculum non potuerant.

Die 12 Febr. cadaver ad quintam pomeridianam fubmerfimus bihorio, & ad feptimam aperuimus. Laquei veftigium non fuprà cartilaginem fcutiformem, ut §. II. & III. neque infrà cricoideam, ut §. I. verùm ad mediam cartilaginem fcutiformem erat. Ingens omentum. Vix eminens infrà coftas jecur. Tenuia inteftina tota purpurafcebant : ut & hinc indè colon & cœcum. Mira coli figura curfufque, ferè ut in §. III. Capax valdè ventriculus, vario ciborum genere plenus.

Pulmo dexter totus cum pleurâ firmiffimè coivit, lævus minimè : uterque ruberrimus, jecinoris inftar, maximè dexter : varii lobi perfciffi tranfversìm copiofum fanguinem, & feparatìm fpumofum ferum fuderunt, copiofum quidem, fed minùs, quam in proximè priore abundantem : trachæa autem, ac majora bronchia, aquâ leviter fpumosâ verè turgebant. Cor utrumque penè vacuum, tantillùm aquæ rubellæ in fe continuit; tenuis rubellufque liquor, minimè confiftens ex apertis per

universum corpus vasis prodiit. Meninges cerebri naturales, exceptâ leviore rubedine ad posteriora. Paucus admodùm, isque tenuis omninò, in sinibus lateralibus sanguis. Sinus longitudinalis vacuus. Ventriculi autem superiores & triplo naturali capacitate ampliores, & aquâ pellucidâ pleni; sic & tertius: an & quartus, ruptura infortunata inter examinandum contingens, dicere vetat? Læsionis in capite externo nullum vestigium.

§. V. Matertera die decimâ septimâ Aprilis privignum tertium annorum strangulaverat. Trihoriò jacuit corpus non soluto laqueo. Tandem ad nos delatum, consueto nostro labore incassùm agitavimus. Pericranium in eâ ossis bregmatis plagâ, quæ frontem respicit, ruberrimam plagam habuit, ac si vis externa adhibita fuisset. Integumenta tamen nihil simile ostendebant. Dura mater leviter, pia tota vehementer inflammata. Vix lympha in ventriculis: plexus choroidei turgidiores, ac hydatici. Pulmo non concidebat solo, eoque immani, infartu sanguineo, nam spumosæ lymphæ nihil habuit. Cor perfectè vacuum utrumque. Sanguis solutus.

§. VI. Homo vultu totoque corporis habitu venustissimus, ad libellum sup-

plicem aulæ datum repudiatus, 21 vel 22 Apr. 1773 suspenderat se; nescitur utrùm incipiente an progressâ nocte: ad 10 mat. repertus in laqueo erat. Solitus labor irritus pro more fuit. Sanguis solutus, sequenti autem die seri quid supernatabat, quod cochleari exceptum, ac igni impositum, instar albuminis ovi coagulabatur. Rubra ejusdem pars non concrescens, aliquid plus tamen spissitudinis, quam pura aqua habebat. Intereà dùm pectus spiritu vini calido fricabat noster chirurgus *Scherer*, advertit pectoris sibilum, ejusdemque alternâ pressione ac remissione veluti respirationis motum: hinc quamdiù hic sibilus motusque durabat, perrexit ille, & dein alii thoracem premere alternatìm, donec post adhibitum sine ullâ pausâ hunc laborem, & motus respirationis & sibilus cessaret omnis. Cùm vinum calens in os injectum videretur sibilum, vel ronchum impedire, siphone ex ore id exantlavimus, moxque rediit ronchus. Dein totum scrotum spiritu vini calido continuò fovimus, & lata multa admovimus vesicantia. Sequente mane horâ octavâ cadaver inflammatione pericardii, & utriusque cerebri meningis, nec non ecchymosi inter utrasque, imò ipsis contusionibus inte-

gumentorum, ſuſpicionem dedit hominem voluiſſe ſe occidere, capitis in parietem alliſione, antequàm confugeret ad laqueum; vel agitatione violentâ in ſuſpendii principio caput ad trabem, vel parietem violentè alliſiſſe. Laqueus ſuprà cartilaginem ſcutiformem ſtrinxit. Pulmones membranaceis vinculis ubique cum pleurâ & pericardio concreti. Pulmones graves a plurimo ſanguine, *ſine minimo vel ſpumæ, vel lymphæ.* Cor utrumque vacuum. Omentum ingens. In ileo ad novem ſpithamas a valvulâ coli ſtercorea materies. Ileum totum purpureum ac ferè nigrum a ſanguine.

Si his addideris experimentum *Tom. I. Rat. Med. cont. Part. II. pag.* 290. relatum de abſentiâ ſpumæ aquoſæ, flavæ aut rubellæ, in ſuſpenſi militis pulmone, habebis ſeptem ſuſpenſos ſtrangulatoſve, quorum tres, poſt ſuſpenſionem non merſi, quâvis caruerint ſpumâ pulmonis; unus poſt ſuſpenſionem merſus, eâdem quoque vacuus repertus ſit; tres verò eamdem haud minore quantitate, quam unquam vivorum demerſorum plerique pulmonibus gerant, geſſerint.

Totum quod mihi ex hiſce licet conficere eſt, 1° ſuſpenſorum pulmones hâc ſpumâ vacuos reperiri ſæpiùs. 2° Suſ-

pensi, & post anatomen submersi hominis pulmonem etiam ab omni aquâ vacuum reperiri, ut in primo hujus sectionis cadavere apparuit. 3° In suspensis, qui ante anatomen submerguntur, non raró aquam intrare in pulmonem, quemadmodùm tria cadavera docuerunt; nisi fortè alia subsit hujus spumæ causa, de quâ deinceps: hùcusque enim non debeo nisi secundùm eruditorum horum virorum principia, atque systema ratiocinari & concludere. 4° Adeòque contra experimenta esse, & quòd mortuorum pulmonem non subeat aqua, & quòd ejus in submersi corporis pulmone vacuitas violentum arguat, atque ante submersionem illatum mortis genus.

Liceat autem hîc rogare, an saltem ad trium suspensorum, qui spumâ pulmonum caruerunt, experimenta, si reliqua de industriâ non fecissem, contrà prudentiæ regulas peccâssem, si spumam in suspensorum non reperiri unquam pulmone conclusissem? Omninò; minor est enim experimentorum numerus, quam foret ad benè concludendum necessarius. Fortè meum judicium, vel alii, vel ipsemet, præproperum fuisse argueremus. Quod enim alii observârunt, an non idem a me observari poterit? Idque non

penitùs raró ? Si *Bartholinus* deprehenderit, vid. *Bonnetum Med. ſept. Lib. VIII, pag. 630*, in ſuſpenſo homine *fiſtulam pulmonalem ſpumâ copiosâ impletam*; ſi aliam ſuſpenſi anotomen referat *Bonnetus*, cujus *pulmo diſtenſus fuerat, implenſque thoracem totum, hîc ſpumoſus atque fungoſus, ibi marmoris inſtar variegatus*; ſi alio loco *Bartholinus* dicat: « In ſtrangulato inveni pulmones gran» des, variegatos, cæruleos, rubore in» terſperſo leves & ſpongioſos, ſangui» ne ſpumoſo tam plenos, ut non tan» tùm externæ venæ tumidæ in membra» nâ apparerent, ſed in diſſectione cor» dis demonſtrantem me ferè impedi» rent; » an non vix concionandæ temeritatis me ſimilia, poſtmodùm obſervanda, damnarent ? Quod autem ſimilia haud raró obtingant, faciet palàm ſectio ſequens.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO TERTIA.

Sextuplex hominum anatome, quorum, morbis acutis chroniciſve defunctorum, pulmones aquâ ſpumosâ ſcatuerunt; ſexies in noſocomio, ſemel in urbe.

§. I. Hominis peripneumoniâ atque iſchuriâ

churiâ mortui *pulmo habuit ſpumam aquoſam.* §. II. Studioſi pleuro-peripneumoniâ denati *pulmo eamdem quoque habuit.* §. III. Rever. ſacerdotis pleuro-peripneumoniâ denati. §. IV. *Nec non pulmo* ducis militum, *chronico morbo diu afflicti, & acuto demùm ſublati.* §. V. In ſaltandi amatore, pleuro-peripneumoniâ enecto. §. VI. *Prætereà & in eo hominis febre ardente denati.* §. VII. *Tandem & in alio ſimilem morbum paſſo.* §. VIII. *Concluſio ex præcedentibus. Præcipitantior Lugdunenſium concluſio, & minùs vera pro veris magiſtratui refert, homines planè innocuos in carceris torturæque periculum conjicit, & ſæpè inanes eidem magiſtratui creat labores.*

§. I. Finis Sectionis II paradoxon proponebat, imò aſſerebat de ſpumoſo liquore abundante in ſuſpenſorum pulmone; quò autem minùs paradoxon appareat, quædam nova obſervata enarrabo.

Rude donatus miles, & talis quem *locum tenentem* appellitant, 73 annorum, anno 1773, die 26 Jan. in Noſ. pract. ſuſceptus, narrabat ſe poſt 24 annos valetudinis integerrimæ, eò petulantiæ cum

commilitonibus perveniſſe, ut poſt evacuata ad ebrietatem pocula, eadem frangeret, dentibus conficeret, ac deglutiret. Haud inſolita hiſce in terris petulantia eſt; gloriantur de eâ etiam nonnulli nobilium. Quod ſibi, ejus protervitatis tironi, dolorem oris fauciumque, paulatim verò in eâdem magiſtro tam parùm moleſtiæ intulit, ut inter ſocios eminens omnes, par calicum poſt compotationem devoraret: ſemel tamen contigiſſe, ut procacitatis pœnam crudeli morte luiſſet, niſi poſt diuturnam colicam vitri fragmenta, immiſſo clyſtere, alvo exturbaſſet. Contigiſſe quoque in ultimo *Auſtriacorum* cum *Thracibus* bello, ut & ter acutè decubuerit, & pectus ſemel vehementer contuſus fuerit: ab hâc contuſione ſuperſtitem manſiſſe tuſſim, eamque ad mutatas anni tempeſtates crebram, cum ſputorum tenuium excretione. Multis tandem ab annis dyſuriâ atque iſchuriâ periodicis laboràſſe, cum urinâ ſabulum gerente, craſsâque ac flavâ.

Die 25 Jan. ſputis jam ab aliquot retrò diebus planè deficientibus, colico dolore cepit torqueri, febre ac tuſſi anhelâ. Purgans antiphlogiſticum ſumpſit; quo nihil operante, in Noſocomium veſperè illatus eſt. Continuum inibi conqueſ-

tus ventris dolorem eſt ; ventre primùm nec duro, nec tumido, ſenſim verò duriore & tumidiore, idque a ſiniſtro umbilici latere potiſſimùm obliquè deorsùm. Paucam urinam principio, pauciſſimam deindè, ultimo calamitatum biduo nullam miſit, neque ſpontè, neque ad inductum catheterem. Alvus quidem die morbi tertiâ prodiit atque continuavit ; tuſſis autem ſicca ferè, moleſta, jugis, inſomnia, colica continuârunt, & immorigera omnibus ægritudo hominem peripneumoniâ & iſchuriâ ſuſtulit die undecimo morbi incipiente.

Jecinoris erat immenſa adeò moles, ut ad umbilicum, & ad dextri oſſis ilei criſtam pertingeret ; & cùm anteriore non tantùm facie, ſed & totâ mole omnia ad lumbos uſque expleret, cauſa capiebatur ventriculi inteſtinorumque mutatæ ſedis. Dexter ren cum ſuo uretere ſanus : ſiniſter mole ingens, in pelvi ſuppurans, durus totus, in ſuâ papillari ſubſtantiâ lapillulos numero ſeptem gerebat. Ureter quadruplò non craſſior, ut fieri aſſolet, ſed amplior, in viâ ſuâ mediâ oſtendebat lapillum, æquè dein amplus ad veſicam uſque. Veſica contracta & indurata ſic, ut duas uncias urinæ ægrè capere

poſſet. Nullus in eâ, ſed propè glandem in urethrâ parvus calculus.

Pulmo dexter multùm, ſiniſter integrè firmiſſimèque concretus cum pleurâ. Cohæſione patienter ſolutâ, pulmo nec tunc, nec in tomos tranſciſſus concidit: *effluxit autem ſeri non nihil ſpumoſi ea abundantia, ut nunquam abundantiùs ex demerſorum expreſſerim pulmonibus.* Aſpera arteria dura valdè, & ſuperiùs veluti *ruiſchianâ* injectione rutilans. Thyroidea glandula penè oſſea. Coaluerantque in unum corpus tres priores annuli cartilaginei. Initia bronchiorum, unàque circumpoſitas iiſdem glandulas calcarea replebat materies.

Cor ingens. Aorta triplò craſſior in ſuâ ſubſtantiâ, duraque valdè. Ejus ſemilunares valvulæ oſſeæ propemodùm duritiei. Polypoſa maſſa alba mollis, non commiſta, ſed cohærens cum ſanguine grumoſo, ſoluto cor arteriaſque explebat.

§. II. Die 7 Febr. 1773, *ſtudioſum poëſios* 17 ann. ex *Monte aureo* in Noſocomium ſuſcepimus, qui a ſex retrò annis, poſt gravem pectoris morbum, tuſſi, anxietate, ſiniſtri lateris dolore, febre variâ, corrhyzâ, catarrho fre-

quenter laboraverat. Jam verò faucium ac palati leviore inflammatione a ſex abhinc diebus curatus, pleuro-peripneumoniâ laborare cepit: altero die morbi ad nos delatus, præter alia auxiliia adhibita, ne per novem quidem venæ ſectiones a vehementiâ inflammationis liberari potuit, ſic ut principio ſexti diei interiret. Urinæ perpetuò aut jumentoſæ erant, aut craſſum enæorema in globum collectum gerebant. Sputa & pauca ſemper, & tenuia, & pauco muco ſubindè commiſta.

Exiguum omentum. Immenſum iterùm hepar, figuram planè ſingularem, depreſſamque inteſtinis ſedem concilians. Copioſa quidem, at minùs colorata bilis. Meſentericæ venæ repletæ ultrà morem. Ren dexter bonus; lævus triplò major, durus, compactus.

Dexter pulmo cùm pericardio, tùm univerſæ pleuræ, hìc firmiùs, ibi laxiùs concrevit. Uterque anteriore facie naturalis, laterali ruber, dorſali purpureo-niger, neque conſidens. *Quâcumque in parte perſcindebatur, aliquid ſeri ſpumoſi albeſcentiſque profudit.* Cor, vaſa majora, polypi, ut in proximè prioris thorace; eâ differentiâ, ut poſt novem venæ ſectiones, quarum ultima craſſiſſimam duriſſi-

mamque crustam illicò formaverat, ac rubram ejus portionem vix scissilem dederat, tamen concretiones polyposas, & longè majores durioresque cor, ventriculi, sinus, auriculæ, & vasa omnia majora gererent, nec grumosi ac purpurei cruoris sibi cohærentis nisi pauculum haberet; imò in capitis sinu longitudinali merè flavus crassusque polypus cum adhærescentibus ramis ex cerebri venis extractis, citrà vel minimam rubedinem inveniretur: ita ut a posteriore convinceremur eum omnem morbum absolutæ lethalitatis esse, in quo toties educto sanguine inflammatorio, totque diluentibus ac sanguinis tenacitatem solventibus ingestis, plurima sanguinis pars polyposa, adeòque per minima vasa impenetrabilis pertinaciter maneat.

Historiæ huic eamdem notam quam priori adnecto: quamvis enim minorem spumosi seri copiam dederit pulmo, eam dedit tamen, ut majorem in submersis sive hominibus, sive brutis, aliquandò non invenerimus.

§. III. *Rev. sacerdos* 70 ann. ter meminit se acutè ægrotasse, ante elapsos abhinc 20 annos; ab eo verò tempore sibi nihil morbosi accidisse, præterquam frequentes admodùm catarrhos; quos mi-

tigare, ac ſæpè pellere penitùs pulvere *lapidis de Goâ*, quem conficere noverat, ſoleret; maximè quandò cum regimine ad ſudorem, integro quotannis menſe eo lapide ſudabat.

Die 13 Martii catarrho, ſeu potiùs pleuro-peripneumoniâ laborare cepit ad noctem; & cùm ad venæ ſectiones & adhibita auxilia alia ingraveſceret, in Noſocomium practicum ſuſcipi petivit. Medio die tertio in idem illatus eſt. Inflammatio tanta fuit, ut coriacea ſanguinis cruſta nunquam denſior, rubraque ejuſdem portio nunquam durior fuerit, quam in venæ ſectione quintâ. Lateris tamen dolor poſt hac ceſſavit. Urinæ paucæ, crebræ, urgentes, paulò coloratiores naturalibus, enæorema gerebant craſſum, copioſum, ſuſpenſum, globum formans. Finis diei quinti idem & vitæ fuit.

In cadavere ingens hernia, dicta *entero-oſcheo-cele*; omentum enim non inerat, quia & breve nimis, & cum peritonæo conatum. Celaverat autem hanc, tùm duobus medicinæ ſtudioſis, qui duobus cum dimidio annis familiariter eo uſi fuerant, tùm mihi; ne autem ramicoſum illum ſuſpicarer, vomitûs abſentia, alvuſque obſequioſa vetabant. Inteſtini cœci ſaccus locabatur ad annulum

abdominis, & ileum, mox antè suum in cœcum ingressum, in prælongum scrotum prolapsum erat ad usque testem, & quidem sic, ut intestinum usque ad testem ab omni cohæsione cum sacco peritonæi liberum esset, ipse verò saccus toto itinere suo arctissimè cum vicinis concretus. Testis bonus, non, ut in similibus fit, complanatus. Prolapsi intestini longitudo trium cum quadrante partium ulnæ *Viennensis* erat. Annulus ita amplus, ut duo digiti intrà illum se commodè movere possent. Brachierium non gerebat; an gesserit quondàm ignoramus. Si gesserit, id abjecisse illum arbitror, eò quòd per annulum amplum juxta pulvinar brachierii intestinum elabatur facilè, & sic compressum doleat. Et quia ex sacci universi cohæsione firmissimâ antequam fuisse herniam conclusimus, neque tamen intestinum cum sacco coivisse deprehendimus: rev. virum frequenter, fortè singulâ nocte, intestinum reduxisse in ventrem credimus.

Ileum intestinum habebat in latere sinistro ventris appendicem seu lateralem saccum, eumque cœcum, in quo recondi nux moschata posset. Colon adeò suo in cursu irregulare, ut faceret tredecim flexus.

Hepar mole minùs quidem quam in præcedentibus, magnum tamen; & cùm ventriculus ingens esset, & à latere lobi jecinoris minoris spatium quidem haberet sese expandendi, minimè verò expandere se ob lobi majoris molem in medio ventre posset, intestinalem formam affectare debuit a latere epigastrii sinistro, usque ad pylorum. Œsophagus ad duos digitos latos in abdomen descendebat, antequam abiret in ventriculum. Pylorus angustissimus, non spasmo, sed præternaturali membranarum crassitudine. Magni ventriculi sacci superficies interna vehementi inflammatione rubebat.

In thoracis cavo dextro unc. xiij aquæ rubellæ; unc. vj in sinistro. Utriusque pulmonis lobus superior cum pleurâ arctè coaluit. Pro more iterùm hîc pulmones facie anteriore minùs, & per insulas duntaxat, multùm ad latera, plurimùm ad dorsum inflammati fuerunt.

Aspera arteria perscissa spumam albescentem, eamque copiosam fudit; continuatâ autem longitudinali sectione, scatebant eadem universa bronchia. Quod autem notandum, nihil concidentes, imò ponderosi pulmones, dùm in lamellas divisi conjiciebantur in aquam, partìm innatabant,

partìm, cùm maximè autem eæ dextri pulmonis, fundum, lapidis instar, petebant. Aqua quippè pulmone gravior, obsidens pulmonis cellulositatem; sanguis pulmone & aquâ gravior, opplens ad crepaturam ferè arterias; unà cum pulmonis parenchymate, massam confecerunt, ejusmodi aquæ volumine specificè graviorem. Contenta hæc in pulmonis cellulositate aqua, cùm turgentibus sub vitæ finem arteriis venisque premeretur, in cava bronchia, trachæamque transudasse videtur; quemadmodùm in demersis ex cavis bronchiis in pulmonum cellulositatem observatur transire; sic ut aëreo hoc canali loco puri aëris, nunc crassâ ac sebaceâ materiâ repleto, pondus pulmonis adhuc auctius fuerit.

Pericardii tunica exterior inflammata multùm, interna aliquantùm. In eodem liquoris unc. j. ß.

Cor sinistrum vacuum, ferè & dextrum, nisi quod hinc indè grumosi sanguinis quidquam hæreret inter columnas.

Pleura tota utroque in latere inflammatissima.

In encephalo dura mater vix, pia mater valdè inflammata, imò ad posteriores cerebri lobos purpurea. Sub arachnoideâ opacus liquor esse videbatur, qui, hâc pertusâ, limpidus erat. In ventriculis su-

perioribus solita copia seri. Plexus choroidei turgidi, pluribus hydatidibus obsessi. Ventriculus tertius tantillùm, quartus nihil liquidi gerebat. Omnia vasa per universum encephalon, ut arteria basilaris, circulus Willisianus, &c. crasso purpureoque sanguine infarta erant.

§. IV. Die 18 Aprilis 1773 invitabar ad anatomen viri prænobilis, militis strenui, septuagenarii, qui a quatuor retrò annis multùm tussiverat, sputa reddiderat, lævoque in latere dolorem, sæpè ad animi deliquium usque, externâ vel levissimâ pressione in leipothymiam ferè exacerbantem, tùm ad motum, & ad calidiora, palpitationes ad præcordia & per omne corpus horribiles toleraverat; quem demùm febris ardens, ex justâ indignatione orta, intrà quatriduum sustulit. Pulmones ambo cum pleurâ undique concreti, sinister etiam cum diaphragmate; & dùm sinistri hujus pulmonis concretiones a pleurâ solvebantur, loculi cavi inter has concretiones alii ichorem, alii pus referebant. Pulmonis ejusdem lobus superior crassus, at jam gangrænosus; inferior lobus ingens, durus, ponderosus, ita ut portiones nonnullæ aquæ fundum peterent, cum universo ferè pericardio firmissimè concreverat, parte autem

ſuâ non induratâ, ſed non conſidente; ſpumosâ lymphâ copiosâ ſcatebat. In dextri pulmonis inferiore, medioque lobo non conſidente, ſanguis plurimus vix effluens, & ſiccum ferè pulmonem in tranſſcindendo oſtendebat; *lobus verò ſuperior non minorem ſeri ſpumoſi copiam referebat, quam multi referunt demerſorum.* Uncia fortè aquæ rubellæ in pericardio. Inflammatum mediaſtinum nonnihil erat, diaphragma valdè, pluresque inteſtinorum longæque portiones. Abſceſſus in ipſis pulmonibus nulli, etſi tot annis tuſſiiſſet, ſputaque ejeciſſet. Polypi ut in prioribus cadaveribus. Undènam dolor in ſiniſtro latere, atque ad minimam preſſionem ingens, explicabitur facilè ex preſſione cordis contrà durum accretumque pulmonem, & a vellicatione omnium inter ſe concretarum partium?

§. V. Die 27 Aprilis recens elapſi, coràm universâ juventute medicâ cadaver aperui hominis 28 ann. qui poſt frequentiones ſaltationes in pleuro-peripneumoniam diriſſimam incidens, eâdem nec decem venæ ſectionibus, nec cæteris remediis cedente, ſeptimo die perierat. Oculi corrugati atque opaci 30 a morte horis, iſque qui cadaverum eſſe ſolet artuum rigor. Colli preſſione ore

atque naribus liquor fluxit. Pulmo dexter duobus in locis cum pleurâ concretus, intermediâ ſubſtantiâ quâdam, hîc membranosâ, ibi ligamentosâ, non lacerandâ, ſed perſcindendâ, rubriſque hinc indè vaſis ornatâ. Rubor inflammatorius pulmonum, ut in præcedentibus. Concretio deindè pulmonum, pleuræ, diaphragmatis, pericardii, ope ſeri tranſudantis, ſupremis propè mortem horis. In cavo dextro thoracis erant lymphæ rubellæ unc. $3\frac{1}{2}$, in ſiniſtro unc. $2\frac{1}{2}$.

Pulmones tranſciſſi madebant, ſerumque manabant omni ex parte; preſſi autem ſeri ſpumoſi fuderunt uncias octo.

Aſpera arteria & bronchia omnia, per totam longitudinem perſciſſa, deterſaque, ſuperiùs pannum rubrum, inferiùs purpureum referebant. Cor rubrum valdè; valvularum aliæ rubri, aliæ purpurei coloris. Rubra valdè arteria pulmonalis interna, internaque aorta, ad iliacas arterias uſque; ibi autem color planè purpureus, non pergens tamen per eaſdem polypi vitalium viſcerum, quales priorum cadaverum. Omnis venæ cavæ ſanguis, omniſque axillarium vaſorum niger ac diſſolutus.

Monſtroſum inteſtinum colon, ſic ablato peritonæo univerſum explere videba-

tur abdomen, ut nihil ferè præter illud replere ventrem cerneretur. Mesenterium solito rubicundius. Præ mole jecinoris ingenti ventriculus eam intestinalem, qualem jam suprà notavimus, formam induere debuit.

Polypus venosus in totâ longitudine sinûs longitudinalis. Pia mater quidem tota admodùm, in sinistro autem hemisphærio magis inflammata. Ventriculi vacui.

Ex hâc & singulis sectionibus hominum quos morbus inflammatorius e vivis sustulit, abundè liquet quanta rubri sanguinis copia, post toties iteratas venæ sectiones, nariumque hæmorrhagias, adhuc præsto sit in cadaveribus; quæ longiorum harum sectionis enarrationem non minima causa fuit.

§. VI. Mensis Maii 28 die, hominis cadaver publicè in Nosocomio aperui, qui febre ardente correptus, eam præter morem in diem 15 protaxerat: horis a morte 35 elapsis, & frigidâ in caveâ cadavere per id tempus servato.

Aperto pectore, pulmonis utriusque inferior lobus membranaceis vinculis cohæsit cum diaphragmate ac pleurâ, magis autem sinister: cæterùm inter se mutuò lobi omnes transsudante sero coiverant.

Pulmones facie anteriore valdè rubicundi, laterali validiùs, dorſali nigerrimi. *Lobi ſuperiores tranſſciſſi compreſſione ſerum ſpumoſum fundebant modicè, inferiores verò primùm ſolâ tranſſciſſione illud tranſſudabant, deindè autem compreſſi tantam ſpumoſi liquidi copiam fundebant, ut facilè libram mediam colligere potuiſſem, ſi perrexiſſem.* In corde & auriculâ dextrâ multus erat ſanguis polypoſus, flavus, cui ſanguis ſolutus ac niger ſic cohærebat, ut in ſanguine miſſo rubra inſula cum cruſtâ cohæret. Aorta à ſuo principio, per totam ſuperſiciem internam uſque in iliacas rubra, in iliacis adhuc magis: vena cava pariter & internum cor, pleura modicè, diaphragma vehementer. In utroque pectoris cavo & in abdomine, nonnihil lymphæ rubellæ. Hepar in externâ ſuperficie inflammatum; in utrâque ventriculus, vehementiſſimè autem quâ parte ingenti lieni incumbebat. Colon tympaniticum, ac figurâ flexibuſque monſtroſum. In ileo ingens appendiculus, ſeu diverticulum. In encephalo ſola fortè pia mater paulò rubicundior. In fronte & versùs ſuturam coronalem, plaga florenum magna, ruberrima in Pericranio, adnexâque celluloſitate; in fronte externâ nihil.

§. VIII. Die 22 Junii, coram auditoribus aperui 19 a morte horis cadaver hominis 42 annorum, qui ab elapſis 18 retrò annis ex equo in durum obſtaculum dextro ſui thoracis latere præceps datus, malè quidem poſtliminio pectore habuerat, ſuum tamen ſemper præſtiterat domino famulatum; febrim intermittentem, nec non pectoris acutam ſemel paſſus. Pleuro-peripneumoniâ tandem diriſſimâ, quæ ne poſt undecim quidem venæ ſectiones ceſſit, affectus, interiit octavo morbi die.

Coſta tertia dextri lateris fracta quondam, ligamentosâ ſic coaluerat ſubſtantiâ, ut quamdam æmularetur articulationem. Pulmo eo in latere cohæſit per inſulas cum pleurâ, mediaſtino, pericardio, diaphragmate, vinculis latis, robuſtis, membranaceis partìm, partìm ligamentoſis vaſculoſiſque. In plagis a concretione liberis inter eroſum pulmonem, pleramque, puris craſſi copia ea, ut ſiphone quantùm potuiſſemus id exantlantes, plus librâ colligeremus.

Graves, nec concidentes pulmones, non a pure quo carebant, ſed ab infarto ſanguine copiosâque lymphâ, ſic ut medius lobus inferior in aquam injectus, lapidis inſtar ſubſideret. Reliquus pulmo

dexter, totuſque ruberrimus ſiniſter, *in taleolas numeroſas tranſſciſſi, ſero ſpumoſo manabant, compreſſi effudêre rivatìm. Aſpera autem arteria à ſummo ſuo per totam longitudinem, diviſiones, imaque bronchia albâ ſpumâ pleniſſima.*

Aſpera eadem arteria leviter inflammata ad ſuum principium, in medio plus, in bronchiis maximè ut purpuraſceret. Utroque pectoris in latere pleura, in dextro autem diriùs inflammata. Inflammatum tendinosâ ſuî portione diaphragma; ventriculi interna propè cardiam ferè gangrænoſa ſuperficies: inflammati etiam valdè renes, de quorum regionis dolore æger vehementer in ultimo morbo conqueſtus fuerat; urina interìm probè ſecreta ſemper.

Tympaniticum valdoperè colon inteſtinum; an indè ponderoſum hepar truſum in altum, ut in dextro latere latis digitis duobus altiùs quam in ſiniſtro aſſurgens, exiguum affecto relinqueret pulmoni ſpatium?

§. VIII. Ex his omnibus manifeſtò conſtat ſupervacaneos creari magiſtratui labores, ad perquirendos ſollicitè ficti homicidii reos, & ejuſdem magiſtratûs neceſſariam veræ internecionis autores indagandi labefactari ſolertiam; ſi

Medici atque Chirurgi legali teſtimonio perhibent aut hominem ſubmerſum eſſe, ſine violentâ morte prægreſsâ, cujus pulmo aquam ſpumoſam gerat; aut eumdem eſſe truculentâ nece peremptum, antequàm in aquam præcipitaretur, eò quòd lymphâ hâc ſpumosâ ejus pulmo careat. Conſtitit enim, & eos quos ſola demerſio in aquâ peremit, omni poſſe carere lymphâ pulmonibus. Conſtitit illos qui mortui mergantur, haud raró plenum eâdem hoc viſcus habere. Conſtitit his quos morbis conſuetis abſtulerit atra dies, pulmonem etiam tantâ hujus ſpumæ copiâ ſæpè madere, ut non majori demerſorum pulmo madeat. Conſtitit demùm potuiſſe pulmonem hauſiſſe aquam, &, homine necdùm perfectè mortuo, hanc reſorptam intrà vaſa ſanguinea fuiſſe (vide ſuprà canis noſtri xxxviij anatomen) ſic ut ſpumæ nihil toto in pulmone conſpiciatur, in quo tamen intraſſet abundè, ut fœces atramenti docuerunt.

Quæ cùm ita habeant ſe, quotieſne imponimus judicibus locorum, eoſque cogimus ut vel inanes in peremptores inquirendi moleſtias ſubeant, vel neceſſariis fortè eoſdem indagandi ſuperſedeant artificiis, ſi, quod omnia hæc experimenta ſubvertunt, ſequamur ſyſtema?

Si quis seriò omnia revolvit quæ hùcusque communicavi experimenta, errorum horum frequentes occasiones esse posse facilè per se perspicit. Si v. g. *vir* §. I, aut *juveuis* §. II, aut *reverendus vir* §. III, aut *belli dux* §. IV, aut *pleuro-peripneumònicus* §. V, aut *febre ardente mortuus* §. VI, aut tandem *pleuro-peripmonicus* §. VII peregrinatus, alicubi in diversorio subitâ morte extinctus esset, locique magistratus, violentiæ illatæ suspicione, legalem cadaveris inspectionem exigeret; profectò hoc, quod infirmamus, principio imbuti Medici atque Chirurgi, hominem aquâ suffocatum, abstersum lectoque repositum esse vel spontè jurarent; forentque in causâ, saltem ubi frequens adhuc viget torturæ insania, ut necis suspecti admoverentur ad torturam, hique eidem perferendæ impares, se insontes accusarent, immeritamque sibi mortem consciscerent.

Equidem haud is ego sum, qui egregios hosce autores hæc quæ scripserint scripturos fuisse sustineam, si unquàm in similia, in quæ ego, cadavera incidissent; potiùs crediderim incidisse eos in ejusmodi nunquàm: hincque mea observata rariora esse autumabunt, quæ vix, aut ne vix quidem, in consueto ordine

naturæ faciant exceptionem. Attamen primò in re tanti momenti etiam rariſſimas obſervationes notabilem facere legis univerſalis exceptionem, primùm aſſero; ſecundò exceptiones has adeò raras haud exiſtere, ſi intrà quatuor menſes in ſeptem cadaverum ſectionibus ſe mihi obtulerint. Ut verò rem in aprico ponam, obſervationem hanc non modò non in rarioribus, ſed in frequentioribus collocandam eſſe oſtendam; hæcque ſequentis erit ſectionis hujus capitis materies.

CAPITIS SECUNDI

SEXTIO QUARTA.

Spuma pulmonum frequentiſſimâ anatomicorum experientiâ in iis, qui merſi non fuerunt, demonſtrata eſt.

§. unica. *Confirmatio priorum obſervationum per XIV anatomicas ſectiones Cl. viri* Morgagni; *& per nonnulla aliorum inſignium anatomicorum. Concluſio ex his omnibus.*

§. I. Ut hoc probem, autorem accuratiorem, fideque digniorem, immortali *Morgagno* non novi; undè ab eo, quibus indigeo, petam. Ep. Anat. Med.

XXII, §. 19. *Pulmones ubique multo sero referti* hominis, qui per quadriennium anhelus respiraverat maximè ad motum corporis. Ep. XXI. §. 33. Pulmo dexter durus, compactus ut jecur; sinister verò fudit *aquæ sanguinolentæ & spumosæ non modicam copiam*, thorace vacuo. Ep. VI. §. 12. *Pulmo sinister aëre mediocriter distentus, &, si secares, multùm effundens spumosi humoris.* Ep. XIII. §. 3. *Eminentiss. cardinalis Barbadicus*, antistes *Patavinus*, catarrhis obnoxius, febre dictâ catarrh. epid. moritur. *Graves erant ipsi pulmones, sed a catarrhali materie, quam continebant, multâ passim e bronchiis, quâcumque incideres, erumpente.* Ep. XXX. §. 2. In homine cancro ventriculi mortuo: *ex omni utriusque pulmonis incisi parte serum prodibat.* Ep. XXXIV. §. 18. Homo ab herniâ omenti & intestini non integri, sed parte suî diverticulum quasi facientis, cæterum in ventre aperti peremptus, habebat pulmonis partem induratam, *pulmones autem ubique fermè humore imbutos.* Ep. XXXVI. §. 17. Mulier ante mortem subitò in magnas anxietates lapsa, multam spumosam & sanguine tinctam materiem expuit. In thorace omnia sana, *nisi quod pulmones rubore suffusi multùm, cùm secarentur, mate-*

riam emittebant ejuſmodi, qualem noviſſimè mulierem expuiſſe ſcripſimus. Ep. V. §. 11. In homine ebrio, ſubitò mortuo, cujus hiſtoria vitæ non ſcitur, pulmones graviores, & *ſpumam ſi premeres emittentes*, ſanâ tamen eorum ſubſtantiâ. Ep. VII. §. 11, Figulus, potator ſtrenuus, pleuro-peripneumoniâ periit. *Lobus ſuperior ſiniſtri pulmonis in supremâ parte ſero turgidus ſpumoſo, ibidemque niger & durus erat, ſed ita durus, ut vetus potiùs vitium quam recens exiſtimares: parte autem reliquâ fermè exſuccus, nec multùm diſſimilis ſani*. Ep. XXI. §. 29. Ancilla a 3 menſibus minùs menſtruans, a capto frigore incidit in morbum prioris ſimilem: ſub finem ex ore effluebat humor aquæ ſpumoſæ in quâ caro recens lota ſit. Die 7 moritur. Excepto ſuperiore ſiniſtri pulmonis lobo, *reliqui lobi omnes, quamvis ſpumoſo humore prorsùs diſtenti, naturalem ſubſtantiæ modum ſervabant, ex quâ diſſectâ is humor prodibat*. Ep. XVIII. §. 30. Vir intemperantis vitæ, poſt magnas in reſpiratione anxietates, & cordis palpitationes, cum œdemate corporis, 4° die moritur. *Pulmones diſſecando variegati, & ſpumoſo humore ſcatentes;* & ibid. §. 34. Lotrix a ſexennio ſpirandi difficultate, quæ aſthmatis convulſivi ſpe-

ciem habebat, sæpè in Nosocomium venerat, eodem demùm malo inibi moriebatur. Nullus hydrops thoracis. Pulmones non annexi pleuræ, *sed turgidi . . . & referti humore spumoso : at nihil præterea intus, extràve, quod morbidum esset, ostenderunt.* Ep. XXI. §. 23. A pleuritide die 4° moritur homo, cujus nulla anamnesis additur. *In sinistro latere pulmo fermè sanus, fulvo cæteroquin humore imbutus quàcumque secaremus, qui vel uberiùs ex pulmone prodibat dextro. Hic verò & major, & gravior, & durior, ubique hepatis substantiam referebat, exceptis quibusdam non exiguis tractibus, in quibus substantia erat albida & quasi ad corruptionem vergens.* Epist. XVI. §. 30. Adolescentuli ultrà tres menses difficulter spirantis, *pulmones ichore spumoso albidoque, si manu comprimeres, scatere conspiciebas.*

Jus igitur summum mihi esse videtur confirmandi omnes eas quas ad priores sectiones hujus capitis formaveram conclusiones. Si aquam eorum pulmo hauriat, quos post fata merserit unda; si magnis anatomicis pulmones hominum laqueo strangulatorum hâc spumâ scatuisse visi sint, ut suprà constitit; si aquâ spumosâ scatuerint pulmones hominum septem, intrà paucorum mensium spatium, a me

poſt mortem publicè examinatorum, quos è medio communes morbi ſuſtulerant; ſi denique *Morgagni* minimùm hoc *decies & quater* notaverit; nihil in poſterùm aut imprudentius, aut pernicioſius referri magiſtratui poterit, quam quòd præſens hæc ſpuma hominem & ſubmerſum in aquâ eſſe, & quidem viventem, certò indicet; quòdque, ſpumâ hâc abſente, homo demerſus violentâ peremptus fuerit, priuſquam mergeretur.

Terminaturus hoc caput duo opponi mihi argumenta poſſe præſentio, quæ nunc prævertere, quàm poſtmodùm ſubvertere malim.

Ac foret forſan prius hoc: cùm in prioribus meis operibus ſimilium poſt communes morbos pulmonum non meminerim, jamque paucorum menſium ſpatio eoſdem ſepties memorem, inſoliti quid in naturâ rerum obtrudere me mundo velle: imò inhoneſtius quid fortè ſuſpicari ii poterunt, qui ſpumoſam hanc aquam in frequentiore anatome nunquam, niſi in iis qui viventes ſubmerſi ſunt, deprehenderunt; ac ſi quid exagerationis, ne pejus dicam, meus ſermo haberet.

Reſpondeo primò vel ad notas morborum, mortiſque cauſas confirmandas, vel ad novas detegendas, vel denique

ad

ad conjecturales examinandas, corpora exenterari, eorumque exerceri anatomen. Intentionem primam alteramque priores nostras sectiones direxisse plerumque; tertiam verò nos in pulmonum phænomena contemplanda reddidisse attentiores, quo quid de novâ *Lugdunensium* sententiâ censendum foret caperemus. Hinc crebrò contigisse ut citrà interni pulmonis examen olim corpora mitteremus; jam verò quo veritas patescat, nunquam ejusdem visceris internum omittamus examen. Disputationes de valvulâ coli ortæ omnes anatomicos in accuratiorem ejusdem examen descriptionemque excitârunt. Nunquam tàm crebra mentio, vitiorumque descriptio facta glandulæ pinealis est, quàm postquàm *Renato Cartesio* placuisset figere in eâdem animæ sedem. Clarus anatomicus scripserat se in 2000 quidem cadaveribus vix bis terve inflammatam pleuram advertisse; quod facilè admitto, dùm anatomici intentio ad longè alia converterit sese: eodem modo post multa lustrata olim cadavera non potui sæpè pleuræ affirmare inflammationem, eamdem inadvertenter prætergressus, & aliis conspicuis rebus in corpore contemplandis occupatus. At verò cùm *Valsalvâ* in rem intentus *Morgagnus*, decies &

quinquies pleuram vidit inflammatam, & eâ quidem plagâ, unico caſu excepto, quam occupaverat in vitâ dolor. Parique ego modo, poſtquàm pleuram & inflammari, & præ vaſorum defectu inflammari poſſe negatum fuit, in rem nunquam non intentus, & inflammatam hanc membranam, & vaſculoſam eſſe, ipſo *Morgagno* crebriùs meis demonſtravi auditoribus.

Reſpondeo ſecundò, non ita me pulmonem prætervidiſſe, ut non frequenter in illis id de quo jam ſermo ſit animadverterim. Quo pacto aliàs *Tomo XIII*, *pag. 211*, ſcribere audacter potuiſſem: *ſpumoſum autem ſerum oſtendi auditoribus pluries, defunctorum variorum perſcindendo pulmonem.* Quod ergò ſæpiùs quondam, ſed modo generaliore notaveram, id nunc & diſtinctiùs & continentiùs notavi.

Alterum quod opponi mihi poſſet, concluſionis errantis foret accuſatio. Ex eo quippe quod pulmo quos demerſeram ſuſpenſorum, ſpumosâ lymphâ abundaret, id eſſe ſyſtema erroneum, quod aquam nunquam in mortuorum pulmones penetrare ſtatueret decrevi; id quod ex eo minimè concludi poſſe videtur: ſi enim in non ſubmerſis mihi toties ſero

ſpumoſo pulmones ſcatuiſſe viſi ſint, quo tandem jure ego aſſeram aquam ſuſpenſorum, deindè ſubmerſorum ſubiiſſe pulmones, quæ adeſſe in iiſdem, eo quo in ægris meis modo, dudùm potuerit? Vitioſum proindè meum hoc eſſe argumentum : ſuſpenſus homo, ante anatomen merſus, aquam geſſit in pulmone : ergò ipſa hæc demerſionis aqua hujus mortui hominis ſubintravit pulmonem. Penitùs ſubvertunt obſervata mea poſteriora, ut arbitrantur, hanc concluſionem.

Reſpondeo 1° *Lugdunenſes* noſtri amici ex priore ſuâ concluſione alteram & quidem hanc formaverant : ergò demerſus omnis, cujus carent pulmones aquâ, morte violentâ peremptus fuit, priuſquàm præcipitaretur in flumen. Jam contrà experimenta illorum, me mea docuerant illorum in pulmone ſpumoſam aquam inventam eſſe, quos merſeram mortuos. Argumentum proindè eorum ſecutus, debebam ex contrariis experimentis theſim contrariam ponere ; quandoquidem ii ipſi, ſi meis experimentis adſtitiſſent, aquam in mortuorum pulmones intrare poſſe, pro eo quo ſunt candore, ultrò faſſi fuiſſent. Videatur quî hanc objectionem præverterim, *Cap. II. Sect. II. ad finem* §. VI.

Sed 2° cùm viri immortalis *Morgagni*, tùm mea ipsius experimenta & observata, omnia illorum argumenta & conclusiones penitùs subvertunt, quandoquidem non eorum duntaxat quos mortuos submersi, verùm etiam illorum quos morbi communes sustulerunt, pulmo hâc spumâ manaverit. His enim sic toties demonstratis, quâ demùm veri umbrâ sustinere ultrà hoc suum argumentum poterunt : *nunquam in pulmone hominis spumosus liquor invenitur, nisi in illius quem vivum merserit unda. Ergò omnis qui spumosam aquam in pulmone gerit, vivus fuit mersus?*

CAPUT III.

DE HYDROPE IPSIUS PULMONIS.

§. I. *Ex infortunatis experimentis nostris videmur id lucrati, ut in lucidiorem* veri hydropis pulmonis, *propriè sic dicti, pervenerimus notitiam. Dubium videtur num* Hippocrates *hoc nomine eum intellexerit, quem nos, morbum; & an non, vel tumores cysticos aquosos, seu hydatidas, vel hydropem thoracis innuerit? neque aut* Aretæum, *aut* Trallianum, *aliud quam* Hippocratem, *subintellexisse liquet.* §. II. *Re-*

censitis sententiis Mercati, Jacotii, Martiani, Pisonis, Ruischii, Albertini, Boerhaavii, ejusque illustr. commentatoris van Swieten, Simsonis, Maloetii, Tozzetti, *id unicè colligi posse videtur, quod si quandoquè appareant velle de nostro morbo sermonem facere, mox, ut* Hippocrates, *vel de tumoribus aquosis cysticis pulmonis, vel de horum tumorum lymphâ, in thoracem effusâ, & pectoris hydropem generante, tàm in diagnosi quàm in prognosi curâque loqui videantur.* §. III. *Colliguntur accuratè omnia signa observata unquam in vitâ eorum qui a morte inventi sunt vero cellulositatis pulmonis hydrope laborâsse, & qui eumdem annosum citrà graviora incommoda, nisi per intervalla, tulerint : multa conveniunt cùm phænomenis hydatici pulmonis & hydropis pectoris.* §. IV. *Curatio hydropis pulmonis.*

§. I. QUod anxiè quærimus, non invenimus sæpè, ut inveniendo quod minimè quærebamus, damnum frustrati repararemus laboris. Sic ad magnam fortunam viam infortunia sæpè pandunt : ipsique per immensum pelagus errores atque naufragia, nos ignotarum regionum divitiis

cumulârunt. Nobiſcum comparatum eodem modo eſt. Curas ſubmerſorum & ſuſpenſorum quas, idoneo tempore adhibitas, toties vitam conſopitam revocantes, universa jam lætatur *Europa*; nos etiam tempore idoneo dudùm præterlapſo, an fortè tunc adhuc effectum ſortirentur, irritas experti, incidimus, Deo à quo omnia & quo ſine nihil ſic benigniſſimè diſponente, & in tutiorem graviſſimæ medico-legalis quæſtionis ſolutionem, & in morbi cujuſpiam abſtruſioris latentioriſque, gravioris nihilominùs ac frequentioris illuſtrationem; *hydropem* volo, non *pectoris*; fusè quippe ille tractatus ab autoribus eſt; ſed ipſius *pulmonis*, cujus verus in medicinâ deſideratur hùcuſque intellectus. Quod ut clariùs oſtendam, ab ipſis medicinæ in artem converſæ incunabulis exorſus, perque ſæculorum ordinem proſecutus, docebo quid notum de eo hùcuſque fuerit, quidque demùm ejus notitiæ atque curæ noſtri cæterùm inanes addiderint labores.

Hippocrates Lib. II, de morbis, Cap. XXIV, Edit. Chart. Tom. VII, p. 576. ὕδερον πλεύμονος, *hydropem pulmonis* deſcripſit, in eoque febris meminit, tuſſis quoque, & reſpirationis denſæ atque confertæ, pedum aliquandò & ventris,

ſcroti etiam ac faciei tumoris, unguium contractorum, hocque morbo laborantes iiſdem quibus ſuppuratos, remiſſiùs tamen ac diutiùs affici ſolere... eoſdem non nunquam ſe exiſtimare curatos, in ventrem humore effuſo : verùm eadem mala, iiſque pejora redire. Num hîc de vero *pulmonis hydrope*, & non potiùs de eo qui thoracis eſt *Hippocrates* differat, quandoquidem ſolitam ſuam diagnoſin & curam *hydropis* thoracis hîc addit, cui convenire, minimè verò *hydropi pulmonis*, hæ videntur ; non admodùm urgeo, judicio potiùs ſubmitto ſapientum. Par mihi dubium eſt de textu *libri de Internis Aff. Tom. VII, Cap. 24, pag. 655.* Illud modò notavit *Hippocrates* quod *hydrops thoracis* ex pulmonum hydatidibus nonnunquam naſcatur, inventis quippe a ſe in varii brutorum generis pulmonibus ; quæ ſcilicet ruptæ pectoris crearent hydropem. Porrò deſcribit in hiſce ſingulis textibus cùm ſymptomata, tùm curationem *hydropis pectoris* ; *hydropis* verò ipſius *pulmonis*, hydatidas iſtas de quibus propriè nulla hîc quæſtio ſi exceperis, nec ſymptomata narrat, nec curationem.

Fugitivum verbum *Aretæo* elapſum eſt, *pag. 94, Edit. Leyd.* περι τȣ̃ ἀφρου quale

quid & *Alexandro Tralliano* excidit *Lib. V, Cap. IV*, nihil verò diſtinctè utriſque: ut minimè pateat notum iiſdem morbum fuiſſe. Plurimum laboris impendi pervolvendæ bibliothecæ medicæ trium poſteriorum ſæculorum, ut quid lucis mutuarer a majoris nominis medicis; verùm ſi qui morbi meminerint, vix cognoviſſe eamdem videntur, quandoquidem eum mox cum *hydrope thoracis* confundunt. *Ludovicus Mercatus* nonnihil plus de vero ipſius pulmonis hydrope, eoque ab illo thoracis diſtincto, obſcurè diſſeruit, *Tom. II, Lib. II, Cap. IV. Deſiderius Jacotius* autem ſæpiùs in cadavera incurrerit oportet, quorum pulmones ſpumoſum ſudêre liquorem; ſuo enim commentario *in Hollerii Lib. V, text. 62, Coac.* expoſitionem, de ſanguinis ſputo, utrum ex hepate, an ex pulmone prodeat, diſcernendo agens, *quum leviter*, inquit, *ſpumæ permiſcetur ſanguis, ex gutture, thorace, hepate prodire poteſt: cùm verò plurimùm ſpumat, è pulmonis vaſis effunditur: cùm totus ſpuma eſt, ex viſceris carne cujus induit ſimilitudinem. Eſt enim pulmo veluti coagulata ſpuma.*

Proſper Martianus in Comm. ad verſum 197, Lib. II, ſect. 3, Hipp. de morbis, ipſum parenchyma pulmonis hydropicum

fieri agnoſcit, ſuamque lympham in cavum thoracis tranſſudando, gignere pectoris hydropem; ita tamen, ut unà conſiſtere ſic poſſit & pulmonis, & pectoris hydrops. Cæterùm, inter numeroſiſſimas apud *Bonnetum* hiſtorias, vix unam quæ ad ſcopum hunc noſtrum faciat, reperimus.

Carolus Piſo, ſæculi XVII inchoantis celeberrimus autor, morbum novit, deſcripſit, curamque adjecit, breviter quidem, aſt lucidè ſatis, *Libr. de morbis ex coll. ſer. natis, ſect. III. Cap. VI.*

Eo ipſo ſeneſcente ſæculo, *Thomas Willis*, cum *Lowero* ſuo, clarus & inſignis, morbum dilucidè apud *Anglos* novit, deſcripſit, in decurſu proſecutus eſt, & ſuam curandi methodum evulgavit. *Pharm. rat. Part. II, ſect. I. cap. 6.*

Ill. Baro van Swieten, in Comm. ad §. 1220 *Boerhaavii*, nobis ex *Ruiſchio*, *Albertino*, *Simſone* & *Maloëtio* nonnulla refert, quæ ad verum pulmonis hydropem pertinere videntur: haud tamen ſic, ut cadaverum ſectione demonſtraverint hi autores morbum: *Ruiſchius* enim non loquitur, niſi de pulmonis celluloſitate aëre turgidâ: *Simſon* verò fatetur rariùs hydropem pulmonis in cadaveribus inveniri, partìm quia faciliùs curationem recipit, partìm quia hydrops pul-

monis pertinacior facilè, ruptâ tali *vomicâ aquosâ* pulmonis, in hydropem abeat thoracis. An igitur *Simſon* directè de noſtro morbo egit? & non potiùs de cyſtico tumore aquoſo in pulmone? Tandem doctiſſimus *Maloët* in totâ ſuâ diſſertatione ne meminit quidem *hydropis pulmonis*, ſed unicè modo ſaccorum duorum, plenorum ſero, hydatidum in morem, qualem & jecur in eodem corpore gerebat. Hydatidas atque pulmonum hydropicos ſaccos, in laudato aphoriſmo *Boerhaavii Ill. Baro* recenſuit: ipſam pulmonis fabricam celluloſam lymphâ repleri, hancque vel in cavum tracheæ aliquandò tranſprimi feliciter poſſe, vel infortunatè in cavum depluere thoracis, utrique admiſerunt *Boerhaavius*, & *Swietenius*; ex profeſſo verò de eodem neque hi, neque quos laudarunt autores egerunt, ut de *hydrope pectoris*, *ventris*, *ſcroti*, &c. egerant.

§. II. Ex omnibus igitur liquet paucos extitiſſe ſummorum medicorum, qui ex anatome morbum noverint; ut certò videantur vel oſcitanter præteriiſſe eumdem, vel crebritate obſervationum pulmoni naturalem crediſiſſe quâ exundaret lympham. Profectò quiſquis cum *Morgagnianis* obſervatis mea conjunxe-

rit, minimè rarum esse morbum intelliget, mirabiturque proindè nullibi ferè eumdem ex professo tradi, per signa indicari sua, vel suâ diagnosi, prognosi, atque curatione exponi. Perpauci enim ipsum nomen recensuerunt; quique recensuerunt, ut *Hipp. Gal.* cæterique, aut intellexêre eo nomine thoracis hydropem, aut sive in pulmonum superficie extantes, sive vomicæ in modum in ipsâ pulmonum substantiâ locatas hydatidas, quæ, more vomicarum, vel in aërea pulmonum vasa, vel dorso in cavum exonerare se pectoris possint: sique forsan pulmones in totâ suâ cellulositate posse hydropicos fieri existimarunt, ut *Piso*, *Albertinus*, *Simsonus*, &c. id sanè nullâ demonstratione, sed merâ conjecturâ ex quibusdam symptomatibus protulerunt. Si enim cum incipiente partium externarum œdemate difficilior redderetur respiratio, ut *Albertinus*; vel si aut vultus, aut malleolorum tumorem respiratio anhela, vixque tangibilis præ suppressione pulsus concomitaret, ut *Simsonus*; vel si post prægressum aquæ quam plurimum potum, homo respiratione laboraret, cum signorum cujuscumque pulmonum morbi absentiâ, ut *C. Piso*: hydropem verum pulmonis adesse conjecta-

runt, cadaverum autem inſpectione nunquam probaverunt. In quo igitur illi defecerunt, nos peculiariter in hoc capite verſemur oportet, ut morbi natura curaque pateſcat.

§. III. Hinc quæ alii, quæ nos, in vitâ eorum quos pulmones hydropicos à morte invenimus peculiariter notavimus, hîc recenſebo. *Em. Card. Barbadicus* catarrhoſus in vitâ fuerat, & catarrhosâ febre epidemicâ perierat. *Vide Cap. II, ſect. IV.* Et in cancroſo, & in hernioſo inventus ſic pulmo fuit; vita anteacta cæterùm non additur. *ibid. Mulier* autem cui ſpumoſus à morte pulmo, magnas anxietates paſſa erat, multamque expuerat ſpumoſam ac ſanguine tinctam materiem. *ibid. Ebrii hominis* vita anteacta non memoratur. *ibid. Figuli* hiſtoria non additur, niſi quod ſtrenuus potor eſſet. *ibid. Ancillæ, minùs a tribus menſibus menſtruanti*, & a capto frigore in pleuro-peripneumoniam illapſæ, in morbo hoc ex ore effluebat humor aquæ inſtar ſpumoſæ, in quâ caro recens lota ſit. *ibid. Vir intemperantis vitæ* magnas paſſus fuerat in reſpiratione anxietates, palpitationes cordis, & corporis œdema. *ibid. Lotrix* à ſexennio ſpirandi difficultate, quæ aſthmatis convulſivi ſpeciem habe-

bat, ſæpè Noſocomium conſilium captura, venerat, & eodem morbo ibi moriebatur tandem. *ibid. Pleuritici* hiſtoria non additur. *ibid.* Sed *adoleſcentulus* ultrà tres menſes difficulter ſpiraverat. Hæc de ægris quorum pulmones ſpumâ ſcatentes invenit *Morgagnus*: jam de noſtris.

Noſter *rude donatus miles Cap. II, ſect. III*, multis ab annis tuſſi, ſputorumque tenuium excretione laboraverat, inque lethali ſuo morbo unicum aderat a ſputis tenuibus ſpumoſiſque levamen. *Studioſus* a ſex annis tuſſi, anxietate, lateris ſiniſtri dolore, febre variâ, corrhyzâ, catarrho frequenter laboraverat, ſuâque in lethali pleuro-peripneumoniâ pauca quidem, ſed tenuia ac ſpumoſa, modico ſubindè muco miſta ſputis reddidit. *Reverendus ſacerdos* ab annis 20 catarrho frequenti vixerat obnoxius, ſudandoque frequenter malum mitigaverat. *Belli dux* præter cordis palpitationem, a quatuor retrò annis multâ vexatus tuſſi fuerat. *Saltator* noſter ſe ſæpè vehementer eo exercitio, in quo peritus artifex audiebat, ſe defatigaverat, & catarrho non raro laboraverat. *Febre ardente* in noſtro Noſocomio *defunctus* ter in vitâ pleuritide decubuerat, antè quadriennium ultimâ. Sed & antè biennium ſcabiem unguento re-

pulerat, & consuetam venæ sectionem hoc anno præterierat.

Et ut tandem de aliis suprà laudatis viris aliquid dicamus, quamvis suprà jam nonnulla retuli, egregius *Piso sect. III, Cap. VI, pag. 235*, ex frequenti aquæ gelidæ, præprimis autem exæstuante corpore, potu, *adolescentulum scolasticum* in hydropem verum pulmonis incidisse judicabat, *cùm ex illâ gelidæ potandæ consuetudine duos ante menses spirandi difficultatem pati cepisset, quæ sensim increbrescens æqualiter sine febre, & sine tussi orthopnœicâ & stertorosâ quodam modo videtur jam fieri: nam non nisi cum alto anhelitu & gravi spirare videtur, imò auditur, & decumbit semper cum gravi stertore: aç tametsi corpus exercere potest, a labore tamen quolibet non mediocriter affectus augescit.*

In Inst. Bonon. Tom. I, Albertinus œdematis pulmonis diagnosin formavit, quando unà cum œdemate partium externarum statim adsit difficilis respiratio. *Simsonus, Act. Edimb. Tom. V, Part. 2*, œdema seu hydropem pulmonis suspicabatur, si vel vultus, vel circà malleolos pedes intumescerent, cum respiratione difficili, pulsuque præ suppressione vix tangibili.

Maloët, *Acad. S. R. P. anno* 1732, vomicas aquoſas in cadavere duas, uncias ſex pellucidæ lymphæ continentes invenit, in ſingulo pulmone ſingulam. Homo miles fuerat, magnâ difficultate reſpirandi laborans, cum febre lentâ, nec in dorſum, nec in alterutrum latus cubare valens, præ moleſtiâ tunc perceptâ pectoris, undè erectus paſſim eſſe cogebatur: brachia & manus, cruraque ac pedes obſidebat œdema. Signa hæc multùm conveniunt cum iis quæ narrantur eſſe pulmonis in ſuâ cellulari ſubſtantiâ verè hydropici, ut in *Morgagni* noſtriſque experimentis.

Targioni Tozzetti Racc. primâ, *p.* 83, conjecturas habuit præſentis hujus mali ex conſimilibus ſymptomatibus, & ab excretis aliquot libris materiæ ſimilis ovi albumini; at verò cùm unus a morte examinatus anatomicè non fuit, alter convaluit, uterque homo *Tozzetti* non demonſtrationem hydropis aut *cyſtidis* pulmonis, ut in caſu *Maloëtii*, aut *cellularis*, ut in noſtris, ſed meram conjecturam reliquit.

§. IV. Igitur catarrhoſa diſpoſitio diuturna, vel ſine tumore œdematoſo, ſive faciei, ſive inferiorum crurum, ſive corporis ferè univerſi, vel cum tumore

earumdem partium ; reſpirandi anxietates validæ, cum ſpumosâ materie, ſanguinis leves notas gerente, ſputando ejectâ ; ſpiritu abundantes potus prægreſſi ; menſium inſolita paucitas ; vitæ intemperantia, quæ reſpirandi anxietates, cordis palpitationes, & corporis œdema genuerat ; dyſpnæa frequens, ac convulſivum aſthma ſimulans, idque demùm lethale ; dyſpnæa trium menſium ; annoſa tuſſis cum copiosâ muci ſpumoſi per ſputum excretione ; diuturna tuſſis cum frequenti & anxietate, & dextri thoracis lateris dolore, frequentique febre, catarrho, corrhyzâ ; catarrhoſa 20 annorum diſpoſitio, quæ annuâ ſudorum curatione levari ſolebat ; tuſſis multa atque annoſa, cum palpitatione cordis ; prægreſſi inflammatorii pectoris morbi ; retropulſa ſcabies, &c. hæc ea ſigna ſunt quæ & nos, & alii qui morbi cauſam non conjectando, ſed inſpecto cadavere percepimus, in vitâ prægreſſa eſſe obſervavimus : reliquorum autem ſcriptorum, qui ex ſemel iterùmque aquosâ pulmonis vomicâ inventâ, eam poſtmodùm adeſſe ſuſpicati ſunt, ſigna morbi haud abſimilia deprehenduntur iis quæ hùcuſque recenſuimus.

Et ſanè ſimilem caſum, quo hæc

nunc tempore ſcribo, Noſocomium habet.

Mulier ægrarum noſtrarum miniſtratrix, 28 ann. nupta quidem, ſed nunquam adhuc gravida, cùm a decem retrò annis peſſimâ intermittente febre, eâque diuturnâ curata eſſet, longo tempore comatoſa fuit, expergefacienda ut comederet, mox a paſtu iterùm ſoporoſa. Poſt trium ſeptimanarum ſpatium hoc coma ceſſit univerſi corporis œdemati: hocque iterùm cephalalgiæ intolerabili, quæ demùm curabatur copioſæ materiæ flavo-viridis per nares aureſque profluvio; ita tamen, ut poſthac æquè æſtate quam hyeme perpetuò repetentibus, ut vocant, catarrhis obnoxia hùcuſque vixerit; pauca ſputa tenuia, mucoſa, ſanguine ſubindè tincta reddens, cum pectoris ardore, & non infrequenti dolore.

Ineunte Decembri ann. 1772 ejuſmodi catarrhum habens, hunc reticuit 14 dierum ſpatio, munus ſuum perficiens, ſuum modo ſolitum ſe pati catarrhum cæteris Noſocomii domeſticis aſſerebat. Jam verò febris, tuſſis, anxietas, ſputa admodùm cruenta, pulſus ſuppreſſus, cephalalgia, viriumque defectus tantus, ut ſe mihi ſiſteret, atque ego illicò libram medicam ſanguinis ipſi detrahe-

rem, cujus ſanguinis tertium vaſculum albam geſſit denſamque cruſtam. Porrò in corpore hoc phlegmatico, tam fera fuit inflammatio pleuro-peripneumonica, ut plethoricæ inſtar tractanda fuerit; & ut poſt quater iteratam venæ ſectionem, ſputis paucis, iiſque aquoſis, ſpumoſis, mucoſis, ac ſubindè ſuppurulentis, alvo per omne morbi tempus craſſæ pultis inſtar, & quotidianâ, ſternutatione frequenti per plures dies, & urinis ſabulum paſſim ſiſtentibus, menſis circiter ſpatio ſic de hoc morbo convaluerit, ut primùm major minorve & tuſſis & anxietas, redeunſque ſæpè corporis œdema, eam leviter affecerint, licèt ancillare obiret quotidiè munus, & ut tandem ferè omnia ſymptomata deſierint. Hæc profectò ſigna habet pulmonis hydropis multa, quorum laudati autores meminerunt, eaque jam tot retrò ab annis hùcuſque. Seroſa colluvies poſt febrem, coma primùm, ſuccedens comati œdema, ſuffecta œdemati cephalalgia, & cephalalgiæ criſis pro parte duntaxat per aures nareſque facta, pulmonis œdema, ſeu hydropem genuit. Imò ne curata quidem ſic cephalalgia per illam criſim fuit, quin cephale in modùm ſæpiùs affligat fœminam, & veſicante ad nucham admoto conticeſcere ſoleat. Mor-

bum hunc bono regimine, moderato motu, auxiliis, expectorando, urinam, alvum ac diaphoresim promovendo agentibus, serosa hæc colluvies verno hoc tempore sic emendata est, ut respiratio bona sit, ni se nimio exercuerit motu, tussis rarescat, corporis ac vultûs præsertim œdema exulet; jamque diathesis serosa ne redeat, ferratis annisi aquis fortunatissimè progredimur.

§. V. Curationem morbi ex laudato mox *Carolo Pisone* petitam huic mulieri adhibui. Quippè ex eodem, elapsis abhinc fermè quadraginta annis, morbi petiveram notitiam; atque in omnibus serosis capitis, pectoris, ventris, articulorumque morbis illum consulens, opem haud planè mediocrem in morbis istiusmodi cognoscendis & curandis me tulisse fateor: undè & auditoribus meis inter principes practicos laudare *Pisonem* soleo. Ne verò idem repetam, & *Pisonis*, & memoratorum autorum omnium curandi leges sic sunt, quemadmodùm mox in §. IV exemplo ostendi: modò aliqua adjungantur, quæ Nosocomium conditio passim vetat, ut aër serenus ac siccus, vel aromaticorum fumo talis, vel potiùs locatâ in montanis habitatione; sicca cùm lecti stragula, linteaminaque, tùm

corporis indumenta; equitatio, motusque omnis quo respiratio libera sit ac larga; victus siccus; parcus, isque roborans potus, &c.

Cura hæc multùm differt ab eâ quæ cæteris pectoris obstructionibus, phthisin minantibus, adhiberi solet: undè plurimùm confert hujus morbi signa & singula, & omnia accuratè adnotasse, ne aliena medicina, alieno in casu noxia, alieno adhibeatur morbo.

CAPUT IV.

DE DÆMONIACIS.

§. I. *Ratio hujus dissertationis.* §. II. *Historia fœminæ a dæmone 18 annorum spatio obsessæ habita, quam fictam Nosocomium deprehendit.* §. III. *Notabilis impostura similis ex historiographis gallis, multùm illustrans hoc negotium.* §. IV. *Phænomena quæ adesse iis dicuntur, quos obsidet dæmon.* §. V. *Difficultas ea verane an ficta sint dignoscendi? Alia vident hîc qui mente præoccupati, alia qui non. Ficti morbi multùm faciunt ad fictas obsessiones diaboli interstinguendas. Methodus num fictæ eæ-*

dem sint an falsæ internoscendi. §. VI. *Quid propriè de obsessione dæmonum statuendum sit. Solutio difficultatis formatæ ex sanâ corporis post insultum constitutione. Solutio quarumdam quæstionum.*

§.I. Ingratam planè rem, tædiosamque eamdem ac planè erubescendam, iteratò tractare compellor, quantumcunque hanc *Tomo V hujus mei annui operis* abundè tractasse mihi visus sim. *Dæmoniacos* volo, quos *credula gens* multos existere censet, cujusque credulitatem ii, heu nimiùm! firmant augentque, quorum fuisset antequam suum officium periclitarentur, aut per se, aut per aptos operi viros inquirere, utrum vera dæmonis obsessio foret, an verò aut morbus qui, post maturum examen, nihil videretur præternaturale habere, aut demùm ars merè præstigiatrix esset. Cùm dedecori & ecclesiæ sit, & reipublicæ ludibrio toties a vaferrimis hominibus exponi, mearum partium esse duxi ad hanc rem illustrandam operam omnem navare, in quâ utrum temerarius habendus sim, an bonus ecclesiæ reique publicæ civis, veri, & æqui, religiosique censores dijudicabunt.

§. II. Porrò ut ordine hæc pertracta-

tio ducatur, enarranda hiſtoria erit quæ fundamentum jaciat dicendorum. Mulier 41 annor. ſutoris in agro *Linziano* uxor, ab annis retrò 18 elapſis diabolo obſeſſa dicta fuit, ſic ut primis tribus annis rariùs, poſterioribus quindecim verò neque vel unicum diem noctemque diabolus illam tranquillam reliquiſſet; ita ut de hâc re nullum videretur dubium ſupereſſe eccleſiaſticis viris, pietate doctrinâque conſpicuis, id ſanctè teſtantibus.

Verno hoc tempore ſutor viam diu quæſitam demùm invenit, libellum ſupplicem in AUGUSTISSIMÆ NOSTRÆ IMPERATRICIS ac REGINÆ manus tradendi, quo ejus ergà ſe, quem & pauperies & obſeſſa a dæmone uxor dirè premerent, miſericordiam benevolentiamque excitaret. His intellectis, AUGUSTÆ nota ſingulis ſagacitas verique amor eò ejus animum impulerunt, ut juberet hanc feminam *Linzio Viennam* transferri, meoque in Noſocomio examinandam ſiſti. Noſocomium inferebatur 5 Junii proximè elapſi. Tres quatuorve horis quotidiè cum illâ occupatus, teſtis loquar autoptes; quæ me abſente contigêre, ex diario Noſocomii exactiſſimo ſuppleturus.

Mox illata in Noſocomium maledixit benigniſſimo SERVATORI, AUGUS-

TISSIMÆ, iisque qui eam *Viennam* duxerant. Repoſita in lectum horrendè contórquere ſe cepit, oculos rotare in omnem partem, ut plerumque nihil niſi eorum album, ſed perpetuò motum convulſumque appareret. Omnes faciei muſculi modum in omnem convellebantur. Collum novit ita & in humeros, & præcipuè in dorſum flectere, ut ſimile viderim nunquam. Intereà vociferabatur, cantilenas cantabat, aut germanicas, aut incondito ſermone non intelligibiles, quaſi exoticam linguam æmulari conata. Ad hæc cepit corpus in ſemicirculum agere, caput ad pedes lecto figens, ventrem in altum: mox extendere ſeſe, & altitudine aut pedis, aut ſeſquipedis totum corpus in ſublime conjicere, idque haud minùs celeriter quam frequenter; fortè vigeſies, trigeſies, & ſæpiùs, ſine interpoſitâ quiete. Poſt momentum quietis, idem repetivit, moxque demùm imprecationes in DEUM, in AUGUSTISSIMAM, in maritum, & hoc modo ultrà horam continuavit.

Intereà temporis & roſarium & ſanctam crucem in manu habens, ter in terram indignabunda projecit, terque redditam oſculata, amplexaque eſt, imò veniam a DEO rogavit, moxque illi iterùm male-

dixit, monens nos priùs se, mox iterùm in se diabolum loqui.

Has, & plures aut alias, aut mutatas hinc indè gesticulationes edidit, pulsu ac respiratione semper post agitationes summè naturalibus.

In mediâ interquiete sic fuit, ut mente ac corpore sanissimam illam dixisses, & vitam suam totam non planè laudabilem narrabat, & quæ a diabolo jam 18 annis patiebatur, quamque ardenter sæpè à DEO petiisset, ut se à tanto hoste liberaret: in mediâ ejusmodi confabulatione, suas convulsiones imprecationesque repetebat.

In prandio ac cœnâ comedit benè, quamvis à diabolo deglutitionem sibi impediri diceret. Ab opii grano sex horis tam benè dormivit, ut ronchus audiretur. Expergesit; rosarium aliasque preces flexis genubus orat. His absolutis, paroxysmum repetit, maledicit DEO, veniamque ab illo petit; communicat demùm confidenter cum custodibus & assistentibus, diabolum mox sibi pro suâ cum illâ familiaritate inter alia sua arcana id revelasse, quòd professorem Nosocomii hodiè lubentissimè interimere vellet.

Intereà advenio, audio quæ gesta erant,

erant, repetentis convulſionis ſpectator ſum, jamque fuci per omnia gnarus, experimentum *Tomi V, pag. 305* inſtituo, dæmonem fugo, & quæ quindecim annorum ſpatio ne unicam quidem diem noctemve ſe ab inſultu diabolico liberam fuiſſe teſtata erat, jam ab horâ nonâ matutinâ diem hanc, & alteram & tertiam tranſegit tranquillè, rationabiliter, devotè; fœmineum manibus laborem ad fallendum tempus exercuit, comedit optimè, & colicam ſemel conqueſta, ab enemate benè habuit.

Ad finem hujus lucidi intervalli familiariter blandèque cum illâ confabulans, conatus ſum in eam convincere quòd non eſſet a diabolo obſeſſa, cùm vidiſſet per auxilia noſtra totum malum ceſſare; quod ſi diabolo autore natum eſſet, minimè ceſſaturum fuiſſet: hoc cùm ægrè admitteret, dixi ſe meliùs convictum iri de hâc meâ aſſertione, dùm, malo fortè adhuc redeunte, auxilium idem adhiberetur.

Hæc minimè placuerunt: undè poſt mediam noctem leviter affici malo ſuo cepit: audiens verò curam priorem repetendam mox fore, tranquilla in horam ſextam fuit: tunc verò geſticulationes iteravit, ex lecto proſiliit, capiti innixa in pavimentum totum corpus in anteriora,

ut pueri ſolent, projecit, lateraliterque ſe per cubiculum circumvolvit, viam ad me, remotiùs ſtantem, volvendo affectans, veluti me, ſi perſtitiſſem, in terram projectura. Blando meo hùcuſque habito cum illâ ſermone in ſerium minantemque verſo, compoſuit ſe, & exindè toto quo apud nos adhuc fuit biduo, nihil ultrà contrà decus, contrà rationem ſanam, contrà bonos mores geſſit. Rerum actarum gnara AUGUSTISSIMA, ne conſuetæ meæ ægrorum demonſtrationes in Noſocomio turbarentur, eàm ad Noſocomium *ſancti Marci* duci juſſit: in quo recuſavit primò ſuæ vafritiei rationem cauſamque fateri; tenuiſſimo demùm victu, cæterùm ſana & ſummi appetitûs fœmina, demùm coacta, confeſſa eſt ſe obſeſſam ſimulaſſe, cùm ut maritum vexare perpetuò poſſet, tùm ut ſibi eleemoſynas corraderet; artificium autem hoc à militis uxore ſe didiciſſe.

§. III. Priuſquam autem hanc hiſtoriam abſolvam, opere pretium duxi hîc ſingularem quamdam hiſtoriam intermiſcere, quam mutuavi ex duobus ſcriptoribus politicis ſummæ fidei, exiſtimationiſque, Hiſtoriographis ac Galliæ ornamentis, *Thuano* & *Mezeræo*. Compendio traditurus, remitto eos quibus omnia le-

gere volupe ſit, ad *Mezeræi Tomum III*, *pag. 1224*, *edit. Pariſ. anni 1685*, & ad *Thuanum Tom. V*, *ad annum 1599*, *a pag. 869*, per ſex ſeptemve ſequentes. Hæc hiſtoria noſtram illuſtrabit, multamque in curando monſtrabit paritatem.

Jacobus Broſſerius, pannificii ſui ruſticique laboris pertæſus, circulatoriam vitam prætulit, atque cum tribus filiabus, quarum *Martha* a dæmone obſeſſa dicebatur, vagabundè varias urbes adivit, ut ſuam cum filiâ *Marthâ* comœdiam luderet. Cùm veram obſeſſionem eſſe judicarent multi ſacerdotum, exorciſarunt quidem dæmonem, ſed illa exorciſmos eluſit omnes. Fraude *Aureliæ* ab Eccleſiâ detectâ, aliorsùm aberrandum erat, ut bellè continuaretur. Itum ergo *Andegavum* fuit. *Carolus Miro*, reverendiſſ. urbis antiſtes, fictane an vera res eſſet, modis explorare variis contendit. Dùm ad aquam cui benedictum eſt diabolus immaniter ferocire viſus eſt, ad aquam verò communem minimè, permutatâ, ipsâ inſciâ, aquâ, ad communem fremuit, ad ſacram minimè. Exorciſmorum librum jubenti afferre altâ voce epiſcopo, dùm clàm profanum quemdam librum tradi curaſſet, affertur *Virgilii Æneidas*: magno tunc apparatu, veluti exorcizaturus, legit: *Arma*

virumque cano, qui Trojæ primus ab oris, &c.; & mox furorem immanem & horrendas convulsiones *Martha* finxit. Undè patrem & filiam vehementer corripuit prælatus, & domicilium antiquum laboremque repetere jussit.

Cùm salutare hoc consilium scelestissimis his hominibus displiceret, *Parisiis*, urbe populosissimâ, se majorem fidem habituros arbitrati, mox illùc appulerunt, & ad *sanctæ Genovefæ* templum primam scenam luserunt, eâque cum arte, ut plebs & potissimùm *rev. patres Capucini*, quos inter pater *Seraphinus* eminebat, *Martham* a diabolo indubitatò obsessam esse asseverarent. At verò *eminentiss. card. Gondius, Parisinorum episcopus*, examinandam fœminam quinque celebrioribus medicis tradidit; *Michaeli Marescotto*, *Nicolao Ellanio*, *Joanni Altino*, *Joanni Riolano*, & *Ludovico Dureto*. Cùm neque latinè, neque græcè interrogata quidquam intelligeret, sed gallicè modò, responderunt medici *nihil a spiritu, multa ficta, pauca a morbo esse.*

Postridiè Duretus, *cum* Ellanio, *infixâ inter pollicem & indicem acu, an sensu doloris tangeretur, tentare voluit: cùm ad ictum non tremisceret, ille* & Ellanius, *petunt collegas advocari, & in crastinum rem differri.*

Igitur Kalend. Aprilibus *magnâ omnium expectatione* a Seraphino Patre *exorcismi repetuntur; ad quos* Martha *oculos rotans, linguâ exsertâ, & contortis membris ac toto corpore exhorrescebat: tùm ad hæc verba*, ET HOMO FACTUS EST, supinâ desultatione veluti exossato corpore *fluctuans, ab altari ad valvas sacelli, in quo erant, erepsit. Quâ re perculsis adstantibus*, Pater Saraphinus *commotior exclamavit:* Si quis sit adhuc incredulus, hîc spiritum intùs agentem sistat, & vitæ periculo cum eo luctetur. At *Marescottus* nihil nisi fictum videns, & imposturam non ferens, ego verò, *inquit*, periculum in me recipiam: spiritus, si potest, me validior ferat! *quibus dictis, statim contrà obluctanti manus in cervicem injicit, eamquè consistere jubet. Illa ubi se captam vidit, cùm se ampliùs commovere non posset, ut imposturam tegeret*, spiritum abiisse, seque reliquisse *respondit.*

Multo dein sermone *Thuanus* refert, agitatum negotium & inter hosce Medicos fuisse, & inter quinque alios qui prioribus suffecti erant, præcipuè quia contrario experimento *Martha* nunc quibusdam visa erat anglicè latinèque loqui; quos tamen omnes refutabat egregiè *Marescottus*. Vide *pag. 869, 870, 871.*

Interìm *Henricus IV*, metuens ne fortè hæc præstigiatrix adhiberetur ad tumultus contrà recens *Nannetense Edictum* concitandos, rem *supremo Parisiensi Senatui* dijudicandam tradidit. Exactè *Martham* esse 40 dierum spatio observandam Senatus edixit, serióque a præcipuis urbis Medicis examinandam: *hi verò nihil præternaturale subesse testati sunt.* Hinc senatus tumultum metuens, eòque propriorem, quò templorum suggesta de violatis ecclesiæ privilegiis, hæreticorumque prædominante consilio fortiùs resonarent, hanc errabundam familiam suum in domicilium remisit, patri pœnâ corporali, ut vocant, indictâ, si *Martham* egredi domo, citrà loci judicis veniam, sineret.

At verò necdum finita res fuit. Vir nobiliss. ac rev. *Alexander Rupifulcaudius*, *sancti Martini abbas*, frater hujus nominis cardinalis, & *Claromontii* episcopi, fortè a fratre instigatus, *Martham Avignonum* primùm, deindè *Romam* duxit, spe fore ut autoritate *Patrum Societatis* hæc fœmina contra gallorum episcoporum, & præcipuè contrà sæcularis potestatis sententiam, verè dæmoniaca pronunciaretur. At verò & *res societatis*, carâ suâ de *Galliâ* pulsæ, postulavit ne huic negotio se immisceret, quò faciliùs

Rex in ejus reditum commoveretur; & ſummus Pontifex, ejuſdem impoſturæ jam gnarus, omne tentamen ſuppreſſit: miſerandus abbas autem, exploſo toto negotio, ludibrio habitus, veniam à Rege petivit, non obtinuit, brevique confectus mœrore interiit: *Martha* paterque, Xenodochiorum ſtipe miſerè vixêre, ac periêre.

§. IV. Ex his duabus hiſtoriis, eorumque libris qui hanc quæſtionem tractârunt, apparet dæmoniacis adſcribi 1° horrendas, inſuetas ac præternaturales convulſiones, contorſiones, corporis in ſublime projectiones, rotationes, convolutiones. 2° Clamores, ejulatus, boatus, balatus, latratus, mugitus, cantus. 3° Linguæ græcæ, hebraïcæ, arabicæ, latinæ, cunctarumque Europæ nationum, aut enuntiationem, aut ſaltem dum quis eos exoticâ linguâ alloquitur, eum ejus intellectum, ut ſuo patrio ſermone aptè reſpondeant ad ejuſmodi interrogata. 4° In ſuis agitationibus curſibuſque a nemine poſſe, citrà ſummum vitæ diſcrimen, ſiſti. 5° Diras imprecari eos Deo, beatæ Virgini, Angelis, cunctiſque Sanctis. 6° Furorem ſummum ad lectionem divinarum rerum, ad auditum Dei, Sanctorum, rerumque

ſacrarum nomen vel applicationem, ad exorciſmos, &c.

In *Gallicâ Marthâ Broſſier*, & in *Auſtriacâ* noſtrâ *Annâ Mariâ*, videmus omnia hæc, verè perſonata contigiſſe, ac benè illas fuiſſe de agendis inſtructas. Optimum quidem noſtrum *Ludovicum Duretum* duo morabantur, ne impoſturam fateretur; indolentia ad puncturam, & rumor de notitie anglicæ ac latinæ linguæ, non a ſe quidem obſervata, ſed ab aliis enarrata; at verò primò nos in noſtris fictis dæmoniacis hanc indolentiam plus ſemel obſervavimus: ad hanc ſimulandam obduratus in malitiâ animus eas aptat. Si quis dubitet, videat *Tom. V. Rat. Med. pag. 302 & 303*, quo pacto ſceleſtiſſima mulier ter ſuſtinuerit profundam inuſtionem Chirurgi, indolentiam ſimulans, ne quâ victum quæritabat epilepſiâ, falſi argueretur. Secundò, *Dureto* examinandi donum linguarum defuerat, hoc dono *Martham* donatam eſſe alii negavêre, alii affirmârunt. Novimus abundè quàm ingenioſa ſæpè rerum fictrix ſit mens humana, præſertìm ſi eſt præoccupata. Qui *Linzio Viennam* noſtram *Annam Mariam* duxerunt, per omnia ſacra teſtari volunt eam in itinere convulſam,

ac ſanctæ Crucis imaginem in humum indignè projicientem, a tranſeunte ſacerdote latinè juſſam fuiſſe a terrâ hanc levaret, oſculareturque, & mox executam mandatum fuiſſe. Nos ſimilia teſtari potuiſſemus, ſi non egiſſemus penſitatiùs. Verùm per multa latinè apud ipſam dicta, certi eramus ignotam illi hanc linguam eſſe; deindè intrà horam contigit, ut ter a ſeſe ſanctæ crucis projecerit imaginem, terque repoſitam in lectum oſculata amplexaque fuerit; ſemel vidi non ab eâ projectam Crucem, ſed ad latus poſitam, brevi in manibus ſumptam, habitamque honorificè fuiſſe. Porrò ſi inter ſanctæ Crucis projectionem & amplexum, quis noſtrûm num latinè aut græcè calleret, his linguis exploraſſet, hæcque protinùs juſſa hæc exequi viſa fuiſſet, anne veriſimilitudinem noſtra affirmatio habuiſſet de linguarum dono? Jam verò, quod ter apud nos non juſſa fecit, oſtendit fœminam latini ſermonis ignaram ſic in itinere feciſſe, uti non juſſa pluries in noſtro Noſocomio fecit.

Sed multos ſtupendæ corporis contorſiones movent, corporis in altum projectiones, horrendæque convulſiones enarratæ, quas ſolâ malitiâ non poſſe peragi exiſtimant. Reſpondeo his hæc nobis ideo

præternaturalia non videri, eò quòd paria illis in variis epilepticis & catalepticis, non fictis conſpexerimus: deindè omnia hæc mirifica ſymptomata & in iis quorum *Tomo V*, *Cap. IV*, memini, apparuiſſe, qui tamen totam rem ſe finxiſſe, & convicti, & faſſi ſunt.

§. V. Ex datis hiſtoriis hiſce, ex libris de hâc re agentibus, & ex noſtris *Tomo V*, *Cap. IV*, deſcriptis obſervatis, conſtat varias methodos quibus fucuſne an ſinceritas innoteſcat, adhiberi ſolere. Imitatione reverendiſſimi *Andegavenſis* epiſcopi, experimentum aquæ ſacræ, & profanæ lectionis pro ſacrâ, feliciter imitati ſumus: puncturas, vellicationes, ignes, efficaces ſæpè, non perpetuò, licèt ſumma impoſtura eſſet, deprehendimus. Linguas nunquam calluerunt; ſed ferax imaginatio harum defectum ſupplevit, ut mox patuit; undè hoc tentamen ritè captum ſemper irritum eſt. Si reſiſti iis ſine vitæ diſpendio non poſſit, & noſtra, & *pariſina*, & omnes mei priores dæmoniaci impoſturam oſtenderunt.

Reſtiti eis currere volentibus, ut conſiſterent, & meo juſſu jacerent ſederentque. Hanc *Annam Mariam* in medio brachiorum ſuorum violento motu compoſui, ut non moveret ſe, imò in ulti-

mo paroxyſmo omnem motum minis protinùs ſufflaminavi.

Impoſturam prætereà aliud demonſtrabat. Dùm in molli lecto jacens, ac linteamine ſtraguloque tecta, corpus in pedis ac ſeſquipedis altitudinem projiciebat, corporis opercula caſum per latera minabantur. Pudor ne denudaretur effecit, ut ter in unico paroxyſmo opercula in corpus adaptaret, eiſque verum daret, ne caderent, æquilibrium.

Experimentum, ſeu tentamen aquoſum nunc memorabo. Et hanc fœminam, & alias, quarum toties jam laudato *Tom. V* memini, unico momento ſic curavimus hoc tentamine, ut de paroxyſmo ne gru quidem ſupereſſet. Eſt cura comendatiſſima *Hippocrati* in *Tetani* ſpecie. Sex, ſeptem, octo in acie locati, & amphorâ frigidæ aquæ armati ſtant: mulieri convelli jam ceptæ, aliaſve geſticulationes edendi, primus ſuam amphoram in vultum, nihil tale ſuſpicanti, uno jactu, totam effundit. Terror ab inſolitâ ſalutatione, horor frigore excitatus, conſpectus tot hominum vitris magnis amphoriſve ad proſequendam affuſionem adſtantium, ſiſtit paroxyſmum parumper; ſed cùm malitia omnium tanta ſoleat eſſe ut brevem poſt pauſam geſticulationes re-

petant, omnes ordine ſuum officium præſtant, ut unico tali experimento aliquandò quinque ſexve menſuras aquæ profundamus. Tunc reſipuerunt omnes; induſium autem togaque madida mutantur, in calefactum lectum reponuntur benè tecti, ac calido jure carnium refocillantur, ne frigus corpora lædat.

Sic passìm unicâ vice impoſtura detecta eſt, & planè ſuffocata; maximè ſi tunc a ſupremâ poteſtate minæ ſeriæ intententur condignæ pœnæ, ſi vel minimum deinceps advertatur malitiæ indicium. Fuit tamen quæ hoc tentamen ſecundò inſtitutum fefellerit, & quidem hæc noſtra fœmina; cujus nihilominùs malitiam minæ intentatæ mox compeſcuerunt, & penitùs ſuffocârunt.

In ſingulis noſtris dæmoniacis dictis, ut & in fictis aſthmaticis atque epilepticis, pulſum à paroxyſmo ficto finiente vix mutatum deprehendimus a ſanitate, & corporis univerſi vix læſas ullas functiones; intereà dùm in verâ epilepſiâ poſt paroxyſmum debilis, inæqualis, multiſque modis peccans ſoleat deprehendi, pluriumque per horas, dieſve, miſerabilis teneat corpora languor. *Pariſinorum Medici* qui in causâ *Marthæ* a parte *Ludovici Dureti* ſummi viri ſtabant, ex bono

post paroxysmum pulsu, corporisque alacritate, verè dæmoniacam concludebant: *Marescottus* verò ex hisce contrarium oportere confici censebat, fretus autoritate evangelicâ; cùm *Marci Cap. IX* in curatione dæmoniaci legatur sic: *Et cùm videret JESUS concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. Et exclamans, & multùm discerpens eum exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: quia mortuus est. JESUS autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.*

Neque ineptum hoc *Marescotti* argumentum est. Omnes illi personati homines exercent se paulatìm in vafro suo artificio, in quo si principio turbetur non nihil ipsorum corporum œconomia, paulatìm nihilominùs assuefacti, gaudio sui in malitiâ profectûs, spe eam perficiundi, mundumque egregiè decipiundi, vix tandem a suis gesticulationibus aut defatigantur, aut anhelant. Dum nos fabrorum ferrareorum malleolos tollere, & aliquot ferre passibus cogimur, jam anhelamus, & pulsum cum respiratione mutatum habemus; intereà dùm ipsi fabri malleum per horam elatis continuò brachiis agitan-

tes, vix mutati deprehendantur. Nolim verò regulam invariabilem ficta a veris distinguendi hanc asserere; corpore enim debiliores, & maximè in imposturâ addiscendâ tirones, aut ne fraus detegatur meticulosi, facilè mutatos habere pulsus, mutatamque respirationem possunt. Cæterùm *Marescotti* argumentum admittendum videtur, & crebrò nobis in mentitâ epilepsiâ, mentitoque asthmate, magno auxilio fuit.

§. VI. Candida hæc gestorum expositio offendere neminem poterit, neque me de aliquo in religione errore reddere suspectum. Obsessos a diabolo homines multos fuisse, ex sacris Evangeliis & Apostolorum Actibus, certus novi, multos quoque prioribus ecclesiæ sæculis, Sanctosque numerosissimos virtute dæmones ejiciendi claruisse. Tandem nullus dubito, quin hinc indè adhucdum tales habeantur. Hinc veneror preces, exorcismosque ecclesiæ, quibus illa utitur, singulâ vice, quâ sacrum Baptismatis sacramentum cathecumenis infantibusque confert, & veris applicat energumenis. Est hæres illa summæ benignissimi SERVATORIS nostri in dæmones potestatis: hanc ipsi ut sæpè priùs, ita jamjam in cœlum adscensurus, ad mundi usque finem tradidit: *dæmones*

ejicient. *Marci*, *Cap.* 16. At verò hominum vafrorum malitia tanta eſt, ut & fingant ſe dæmone obſeſſos eſſe, & venerandas eccleſiæ ceremonias, venerandoſque eccleſiæ miniſtros ludibrio exponant. Hoc porrò prævertere, decus ſervare religionis ſacratiſſimæ, ſacrorumque ejus miniſtrorum, cujuſque, ni fallor, Catholicæ ſuæ religionis ſplendorem amantis omninò eſt. Hæc ſola me ratio compulit, ut a tot retrò annis ea mihi indicia compararem, quibus verane res, an ficta eſſet, probè interſtinguerem: quo demùm modo & verè a dæmone obſeſſi eccleſiæ traderentur curæ, & impoſturæ convincerentur perſonati. Neque rem video dedecentem Medicos eſſe, quod, cum officio teneantur fraudulentos fictoſque morbos a veris diſcernere, idque reverà per certa tentamina præſtent, eadem quoque tentamina in uſum apud dæmoniacos vocent, ne ſceleſtiſſimi homines Deum religionemque vituperent. Profectò nullus video, quod ob id oporteat liceatve in Medicos ſtomachari. Si de autoritate eccleſiæ actum eſſe, quandò ſupremus Senatus, idque Medicorum operâ, cauſam *Marthæ Broſſieriæ* dijudicabat, non minùs ignari, quam fervidi Eccleſiaſtici clamitabant,

profectò *Clemens VIII*, summus eo tempore pontifex, sic non censuit, etsi *Martham* jam *Romæ* se sistentem, examini Ecclesiastico submittere potuisset. Attamen si viri reverendi, quos ob religionis cultum morumque sanctimoniam veneramur, hoc nostrum tentamen malè ferant, lubenter id mittimus, illisque reddimus; modò cùm hasce regulas, tùm quas ipsis industria, usus, ac religionis amor, ultrà suggerent, accuratè patienterque in usum vocent. Nihil enim, nisi harum regularum neglectus, in causâ fuit, ut hæc mihi demandata provincia sit. Maximè optandum foret, ut ad sacras ædes, ad quas pia plebs convolare peregrinabunda consuevit, legionesque dæmoniacorum conduci undique solent, debita tentamina viri venerandi præmitterent; ne profanarent istiusmodi personati homines, neve ecclesiæ ministrorum imperitiam simplicitatemque falsè riderent, dùm in miraculorum diariis postmodùm nefandum suum vident sacrari vaframentum.

Finem capiti impositurus, duas me morari quæstiones percipio, quæ quidem responsionem vix mererentur; eamdem tamen cum multorum animis altè irradicatæ videantur, omninò poscunt.

Prima eorum est, qui propter frequentes imposturas statuunt neque hodiè existere quos obsideat diabolus, neque olim extitisse: cunctas scilicet curas dæmoniacorum enarratas morborum quidem mirabilium, at verò præternaturale nihil habentium curationes fuisse, quam sententiam eruditis jam olim, maximè verò hoc tempore viris, operum mole notis, vehementer placere video.

Hos porrò primùm rogo an admittant revelationem, nec ne? Hanc si non admittant, eos plango, non negantes diabolicam obsessionem ratus, nisi quia suo materialismo infatuati. Pneumatologiam omnem rident. His mentem sanam apprecati, eos volumus, qui admittunt revelationem, eosdemque precor, ut depositâ præoccupatione, sacra Evangelia cuncta pervolvant diligenter, notamque ad illos affigant qui dæmoniacorum meminerunt locos: centenario plures ejusmodi notabunt, qui sincerè, neque præoccupatè considerati, non permittent unquam illis, ut ad non præternaturales morbos has referant dæmoniacorum historias. Videbunt dæmones id effatos, quod homines, quos obsidebant, ignorabant. In principio certè ignorabat israelitica gens JESUM, & MESSIAM esse, & DEI

FILIUM; utrumque diaboli homines obſidentes, ultrò fatebantur. Ubique curationes morborum ab illis dæmoniacorum diſtinguuntur, diſtinctèque enarrantur. Quin & in gloriam ſuam intraturus SERVATOR, in ultimo ſuo ad Apoſtolos Diſcipuloſque ſermone, *Marci*, 16 *cap. Signa autem eos*, inquit, *qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Apoſtolorum igitur, eorumque qui ipſis prædicantibus fidem amplexuri erant, diſtincta poteſtas fuit in res diſtinctas; quæ poteſtas & hîc, & in totâ evangelicâ SERVATORIS hiſtoriâ, tam diſtinctè ſeparatur, ut qui voluerit præfractè negare, & morbos curare, & dæmonem expellere, res diverſas eſſe, affirmare neceſſariò quoque debeat donum linguarum, venenique immunitatem, neque a curatione ægrorum, neque a diaboli expulſione quid ſeparatum eſſe, licèt hic quadruplex, eaque diſtinctiſſima inter ſe poteſtas promitti videatur; quo quid dici abſurdius poſſit? Dolendum profectò in pyrrhonico hoc ſæculo & plurimam gentis eruditæ, revelationem credentis turbam in abſonam hanc opi-

nionem abire, & vel hâc ipsâ se doctiorem, se sacrorum librorum intelligentiorem esse opinari.

Quæstio altera eorum erat qui mirentur id nunc asseri, quod quantumcunque olim frequens diaboli obsessio fuisset, ea tamen nunc inter rariora ponatur: dùm intereà illi minimè causam capiant, cur rarum hoc nunc foret, quod frequens olim: hominum nunc eamdem quam olim conditionem esse, eamdemque diabolorum & malitiam & potestatem: videri proindè sibi & præproperum nimis esse hoc de raritate obsessionis dæmoniacæ assertum, & quæ ad imposturam detegendam ex hâc assertione laudantur temeraria.

Hos primùm rogatos volo, quo demùm argumento probent, quod olim in rerum naturâ contigerit, id perennare, quandiu eadem rerum natura perstet, oportere? Utique non ex revelatione, minùsque multò ex observatione id probabunt. Et in divinis rebus, & in humanis, non idem perpetuò apparet PROVIDENTIÆ ordo. Donum linguarum, donum prophetiæ, donum ægros impositâ manu, aliâve actione, curandi, communia in primitivâ ecclesiâ erant, jam verò rarissima observantur. Quid leprâ commu-

nius Judæorum? ſcatent eâ veteris novique Teſtamenti codices: uti dæmoniacorum hiſtoriam Evangelium refert, ſic & leproſorum; intereà dum noſtro ſæculo penè ignotus morbus, niſi hinc indè apud Indos ſit. Ergo nihil ſolidi ejuſmodi argumenta habent. Pro omni autem reſponſo ſufficit detecta impoſtura, ita ut velimus, nolimus, paucos noſtra, paucos patrum noſtrorum memoria extitiſſe, quos obſederit dæmon, ultrò fateamur.

FINIS.

APPENDIX.

DIE 20 *Aug.* 1773, fatalis contigit casus ad Paludem propè *Danubium*, in loco quem *Thabor* vocant; qui cùm ad argumentum quo toto capite secundo hujus operis occupabamur mirificè faciat, typis autem illo jam edito contigerit, necessariò hîc memorandus est.

Adolescens 16 annorum, multis ab annis valetudinarius, pertinaci laborans diuturnâque scabie, piscatus hamatilis adeò immodicus, ut ob eumdem pridiè vapulasset; denuò hoc die, horâ decimâ antemeridianâ, vento procellosissimo, in vicinâ Palude, binis tribusque pedibus haud profundiore hamans, ab altiore amne pronus in aquam incidit, idque in acutum abruptumque veteris hujus Paludis aggeris palum. Emersit, vociferatusque est. Vidit, atque audivit eum, præteriens fœmina, quæ auxiliari cùm sarcinata non posset, in opem vicinos compulit hortulanos. Convolantes undique hi, oblongum quem casu reperiunt, asserem luctanti cum aquis porrigunt, quo arrepto eum in continentem ducant;

at verò ille genubus tenùs tenaci limo immerſus, expedire non potuit ſe. Nonnullis intereà vicino in horto uncum quærentibus, altiùs infigitur limo adoleſcens, ſubmergiturque. Horæ, ut credunt, quadrante ſubmerſum, uncis veſti infixis, in continentem trahunt; ſigna vitæ nulla edentem, in altum elatis pedibus quatefaciunt, & ſpumoſam quidem aquam ore naribuſque, ut putant, profluam vident; ſed ne vel minima vitæ ſuperſtitis ſigna. Ad hæc vicini ſuburbii *Leopoldini* Balneator quæritur, cui quo pernicior adſit, currus junctis raptìm equis mittitur. Ejus verò loco duo prodeunt tirones, qui vix conſpecto corpore, & ſeros ſe vocari muſſitant, & neque aut venam tundi, aut alia præſidia artis admoveri ultrà poſſe contendentes ſe ſubducunt.

Elapſo tandem bihorio in noſtrum Noſocomium corpus conferri jubet loci judex. Mox conſpicitur ſiniſtro in bregmate, notata jam a Chirurgiæ tyronibus contuſio, atque epidermidis ſeparatio. Calefacto protinùs in lecto variis & rebus & modis fricatur; ex venâ jugulari dextrâ ſanguis mittitur, qui rapidus principio, moderatus poſtliminio, unciarum X copiâ profluxit, tenuiſſimus, nigreſ-

cens, morâ bihorii ſubnigrâ aquâ præcipitatâ excolor, ad ignem, more albuminis ovi, coagulatus. Reliqua artis præſidia, quemadmodùm *Tomo I Rat. Med. cont. part. II*, traduntur, ordine admota ſunt; aſt verò, ut facilè prævideramus, incaſsùm. Agitato ſub experimentis corpore, ore ac naribus multa ſpuma profluxit, œſophago, ut leviter eodem in ſectione vulnerato conſtitit, oriunda: imò etſi ex aſperâ arteriâ prodiiſſet, ſpumæ duntaxat, ſi quæ affuiſſet, portio quædam prodiiſſet. Galli enim noſtri ſcriptores ſuâ ſpumâ evacuari ſic pulmonem non poſſe, evidentiſſimis experimentis demonſtrârunt.

Die 21 Aug. ad 7 mat. cadaver luſtravimus a pectore orſi, ne quid mutaretur in pulmone. Pulmo liber uterque. Aortâ, venâ cavâ, ſuperioreque trachæâ, ne quid efflueret, probè ligatis, tùm & ſeparato a diaphragmate pericardio, eximebantur cum corde pulmones. Nulla in trachæâ aqua ſpumoſa, nulla in bronchiis, nulla in loborum, quos numeroſas in taleolas diviſeramus, vel minimâ portione: neque ſeri ſpumoſi quidquam perſciſſione tantummodò non prodibat, ſed ne forti quidem preſſione; nihil enim hâc niſi ſanguis exprimeba-

tur. Porrò multus inerat aër illis, irretitusque sic, ut ex quibus expressus sanguis fuisset partes, ne post horas quidem considerent, bullas modò sub externâ tunicâ pressione formantes: quod pulmonis emphysema non a submersione, verùm ab antiquiore hujus visceris in suâ cellulositate dispositione, explicandum est. Ex variis scriptoribus hoc pneumonicum emphysema in hominibus non demersis, unà cum magnâ ex hâc membranâ aërem explodendi difficultate, adnotavit *Ill. van Swieten* in cap. *Boerhaavii de Hydrope*, ad §. 1220.

In corde vasisque majoribus, cruor nigrescenti similis aquæ. Intestina singula inflammata. Colon, postquam ex sinistri ilei cavitate emersisset, quinque flexus ingentes, antequam in rectum abiret, formabat. Et inflammatus pone pylorum ventriculus.

Ad os bregmatis lævum, tegumenta inter ac pericranium, eâ scilicet plagâ in quâ læsionem externam videramus, inventa ecchymosis est, multaque pericranii rubedo. In encephalo ambæ quidem meninges ad cerebrum universum rubebant, verùm præterea in ipso contuso loco multam rubri, nigrescentis tenuisque

que ſanguinis ecchymoſin inter ſeſe mutuas continebant. Ventriculorum parietes copioſis vaſculis, iiſque rubris, ſcatebant.

Hæc igitur anatome nos docet primò : licèt in cadavere patuerit invincibilis cauſa mortis, quia tamen hæc antè anatomen ignorabatur, Chirurgiæ profectò tyronibus, quantùm ab ipſis res pependerit, imputandum eſſe mortem ; quia quidquid in eo caſu agendum eſt, & a magiſtro diſcipuli tenent, & linguâ vernaculâ conſcriptum de hâc re libellum, dono Auguſtæ, poſſident magiſtri omnes, quem & communicare exponereque diſcipulis lege juſſi ſunt. Sin verò planè rudes in hoc negotio hi fuerint, pars culpæ multa redundat in magiſtrum, quod nec libellum communicaverit cum illis, nec expoſuerit, nec, ſi potuerit, in auxilium accurrerit.

Secundò : ut canes meos mittam, jam hîc hominum demerſorum alter eſt, cujus caruerint aquâ pulmones : huic autem præterea apoplexiæ extitêre in encephalo cauſæ. Ponamus hanc hiſtoriam vel noƈte, vel ſaltem nullis præſentibus contigiſſe teſtibus ; & cadaver tandem inventum juſſu luſtrari magiſtratûs. Qui ejus ſunt,

quam refutare conatus ſum, ſententiæ; cùm in anatome & vacuum inveniant ſero ſpumoſo pulmonem, & haud contemnenda mortis violentâ manu illatæ, indicia, magiſtratui referent meridianâ luce clariùs eſſe quod hic juvenis morte violentâ priùs peremptus fuerit, antequam præcipitatum corpus in paludem ſit; quo quid unquam a veritate alienius? Interîm magiſtratus ampliſſimus, magiſtratûs *Lugdunenſis* exemplo, in homicidas ſeverè inquiret, in carcerem ſuſpectos conjiciet, ad eoſdemque convincendos artificia conſueta admovebit. Si quis, quàm inanes hi, quàm arduos, quamque periculoſos, cùm judici concilient, tùm accuſatis, labores, maturè perpendat; an gravari, minarique poſſit, me quâvis oblatâ occaſione Gallicanæ ſententiæ urgere perniciem?

At verò totum hoc meum argumentum negotio ſe facili confodere poſſe, hujus ſententiæ autores fortè arbitrabuntur, adoleſcentem meum ſubmerſione neutiquam vel ob id periiſſe rati, quod è gurgite in ſublime emerſus, vociferatus ſit; oppletum proindè aquâ habere non potuerit pulmonem. Hinc eum videri non ſubmerſione, ſed fluente paula-

tùm tuſſis de encephali vaſis ſanguine, ex cerebri oppreſſione verè apoplexiâ periiſſe: quodque proindè aquâ ſpumosâ vacuus deprehenſus ejus pulmo ſit, mirabile non eſſe.

Profectò multam mihi hîc illi ſuppeditant differendi materiem. Sed iiſdem in *Appendice* reſpondere opportunam non videtur, ne ex Appendice novum ſuccreſcat voluminoſumque opus. Hinc id, quod contendunt, ipſis impræſentiarum omne dabo; modò ex datis concedant neceſſariam conſequentiam.

Scilicet, ſi hic juvenis, nemine teſte, incidiſſet in paludem, atque elapſis aliquot diebus inventus, legali examini fuiſſet ſubjectus, ipſi hi, quos veneror, viri, neceſſariâ lege pronunciare debuiſſent *primò*, mortuum illum præcipitatum in aquam fuiſſe, cùm omni prorsùm aquâ ejus pulmo careret: *ſecundò*, ex viſis atque repertis in capite eumdem fuiſſe violentâ morte peremptum, priuſquàm præceps in aquam datum fuiſſet cadaver. Reddentes itaque caſum hunc illi ſuæ *Claudinæ* conſimilem, argumenta profectò fortiora ad hanc concluſionem in iſto quàm in illâ haberent. Interìm hiſtoria noſtra, tot teſtibus pleno in die

visa atque audita, hanc conclusionem non minùs damnosissimam quàm falsissimam esse, omni ex parte toties jam ostendit. Quocumque igitur modo exponere hanc historiam contendunt, eam sententiæ suæ destructricem semper inveniunt.

FINIS.

ANTONII DE HAEN,

S. C. R. A. MAJESTATIS CONSILIARII ET ARCHIATRI,

EPISTOLA

DE CICUTA.



PARISIIS,

Apud P. Fr. DIDOT juniorem, Bibliopolam, ad ripam Augustinianorum, propè pontem Sancti Michaëlis, sub signo Sancti Augustini.

M. DCC. LXXVII.

Cum Approbatione, & Privilegio Regis.



VIRO PRÆNOBILI AC CELEBERRIMO

BALTHASARO LUDOVICO TRALLE,

MEDICO VRATISLAVIENSI,

Academiarum Cæsar. N. C. Adjuncto & Elect. Boicæ Scientiarum Socio, &c.

MEMINERIS, vir celeberrime, quum in ultimo tuo de inoculatione opere ſcripſiſſes, obſervationes Viennenſes de cicutæ præſtantiâ etiam Vratiſlaviæ comprobatas eſſe, quod, datis mox ad te litteris, humaniſſimè petiverim, ut curatorum illorum hiſtoriam, quos cognoviſſes ægros antè datam cicutam, quibus præter cicutam datum nihil admotumque fuiſſe noſſes, quoſque poſteà, aut egregiè emendatos, aut perfectè curatos lætus ſalutaſſes, mecum communicare dignarêre: me quippe tùm fore, qui eamdem publicâ luce donaturus, cicutæque futurus encomiaſtes eſſem. Æternum enim

Numen veneror, quod eam mihi mentem benignus inſeverit, ut ſalute humanâ nihil acceptius, nihil unquam haberem antiquius; ad quam profectò, de quâ lis eſt planta, plurimùm conferret, ſi, quas illi vires ineſſe perhibent, reverà poſſideret.

Eamdem poſſidere illas, nullus principio dubitabam. Pilulas indè paratas, ultrà ſexennium eſt, dederat mihi illuſtriſſimus noſter præſes *L. B. van Swieten*, ut in ſchirro & cancro earumdem vires explorarem, ſuppreſſo quamvis plantæ nomine, quod publicare necdum ſibi licere aiebat: quo autem audax in experiundo eſſem ſuam ille fidem, ſuam interpoſuit experientiam. Neque profectò vel hilum hæſitavi, fide munitus tantâ atque auctoritate. Imò gratias divinæ Providentiæ venerabundus egi, quod deniquè ſummarum maximèque formidandarum generis humani, in eoque amabilis præcipuè ſexûs, calamitatum medelam propitiùs revelâſſet.

Experimenta igitur actutùm inſtitui, æquè benè multa, antequam quâ uterer cicutam eſſe noſcerem. Quod autem experimenta illa minùs favebant, ego inſtituebam eadem auctiora, ratus, ne ab optimo quidem medicamento expectari poſſe, ut omnes ex æquo ſanaret; & forſitan

eos, qui penitùs incurabiles, meas hùcusque in manus incidisse, in casuros tandem, qui sanescerent, qui comprobarent medicamenti virtutes, qui eâdem me, quâ cæteros, lætitiâ perfunderent.

Intereà aliorum recenter evulgatis experimentis tanquam propriis meis gaudebam, & ubique laudabam cognitæ tunc mihi cicutæ vires. Eramque ejus in Italiâ præco. Et, si quem cupido tenet noscendi, cur nobiliss. comes *Roncalli Parolino* in epistolâ ad *Cl. Bianchi* conqueratur: *che io non fosse troppo cortese*; caussa est, quod cùm Mantuæ 1760, mense Septembri, ille me officiosâ salutatione honoraret, & in cicutam acriter inveheretur, ego forsan paulò acriùs ejusdem efficaciam propugnarem.

Atque ita ferè biennio egi. Tandem quum ea experimentorum meorum infelicitas esset, ut quibus cicutam, spatio anni dimidii, anni integri & sesquialterius, dederam, eorumdem nulli sanescerent, plures in deteriora laberentur, unus periret alterque; quum prætereà similes querelæ aliorum aures circumsonarent, penitùs, fateor, animus vacillavit.

Intereà obstupescens inaudio *libellum* de cicutâ alterum prelo mandari. Itaque *ill. præsidem* adire ego, ipsi infortunia

mea exponere, diaria 23 ægrorum, quos ab initio in curam ſuſceperam, monſtrare, obteſtari per òmnia ſacra, nihil ultrà publici juris fieri permitteret, donec quæ a pluribus caperentur experimenta numeroſiora omnem amoviſſent hæſitationem. Quippe ſi, quæ ego infortunia mœrebam, eadem & aliis contingerent, eoſdem his præpoſteris laudibus indignaturos, noſtramque facultatem de famâ, quam celebrem, quam venerandam apud exteros conquirere cœperat, periclitaturam. Intereà me non quidem ultrà in Noſocomio, in quo præ locorum anguſtiâ fœtor cicutæ, cæteris, eâdem non utentibus, permoleſtus eſſet, ſed foràs, eâdem quâ anteà ſedulitate experimenta proſequuturum.

Non expedit enarrare quis fuerit hujus colloquii finis. Noſſe ſufficiat indictum mihi bellum ab eo die fuiſſe, idemque hùcuſque non continuare duntaxat, ſed ingeminare.

Quum interìm, quò in experiundo frequentior, eò eſſem in curando infortunatior, experimentis meis vel ideò fidem eſſe denegandam contenderunt, quod non ultrà in Noſocomio eadem ſub oculis meis inſtituerem. Homines, ac præſertìm quidem pauperculos, a medico

medicamenta accipere, ſæpè eadem aut negligenter, aut nihil omninò aſſumere, vendere aliis, & ſic porrò.

Quamvis experimentis in Noſocomio captis æquè fuiſſem quàm extrà illud infelix; quamvis etiam in libellis de cicutâ plura experimenta extrà quàm intrà Noſocomium capta legantur, tamen inani hoc prætextui adhuc ſemel obviam ire volui. Septemdecim ægros, quos ſimiles varii morbi affligerent, quique in *libello primo de cicutâ recenſentur*, in Noſocomium meum induxi, cicutam iiſdem omnimode applicui, & bis in ſeptimanâ cunctis medicæ ſtudioſis, proficerent, nec ne, examinandos produxi.

Emanante in urbem cicutæ apud hos omnes inertiâ, accusârunt me, quo fundamento neſcio, ignorantiæ methodi veræ cicutam exhibendi. Quâ de causâ humaniſſimis litteris *ill. præſidem* hortabar, ut horâ ſibi commodâ vellet examinare ægrotos meos, tùm qui in Noſocomio degebant, tùm etiam qui extrà illud cicutâ utebantur, ad datam quippè horam omnes illi ſiſtendos: nihil mihi gratiùs fore, quam ex ipſo diſcere, non vitio cicutæ, ſed meo, qualiacunque infortunia conquererer, contingere. Sed neminem vidi, & ne reſponſum quidem.

Experimenta nihilominùs auxi ad numerum CXX.

Quum tandem cancrosarum fœminarum octo mihi periissent, cæterorumque & nemo curaretur, & multi pejorarentur; quumque ex *Bohemiâ*, ex *Imperio*, ex *Galliâ*, *Angliâ*, *Belgio*, *Italiâ*, similia infortunia, aut litteris perciperem, aut dissertationibus intelligeram impressis, ab experimentis novis desistendum esse arbitratus sum; cicutam & inertem esse & noxiam a prægressis convictus.

Interìm videas, quanti faciam tuam, optime Tralles, auctoritatem, dum vix lectis in ultimo tuo opere *Breslaviensium* experimentorum encomiis, protinùs & eorumdem historiam abs te peterem, &, sub narratis suprà conditionibus, me evulgaturum illam, tùm laudaturum cicutam esse sponderem. Qui hisce meis adeò æquis atque sinceris votis satisfaceret, tu, amice candidissime, unus esse debuisti, unus esse potuisti, qui, veri amore raptus, & tua propria observata ex diariis depromere, & cunctorum Breslaviensium Medicorum Chirurgorumque, qui cicutâ usi erant, testimonia, proprio ipsorum nomine consignata, colligere, & ad me tantâ cum diligentiâ & attentione transmittere dignâbare.

Vix accepta, legi eo, sanctè testor, quo promiseram animo. Reperi catalogum undè septuaginta ægrorum. Vidi clarorum virorum, qui cicutam ipsis dederant, alios aliis esse huic plantæ favorabiliores; teque, vir egregie, minùs quàm expectâram: vis probè a me notari, non scripsisse te, pag. 234, vexatissimi argumenti; vires ejusmodi cicutæ abs te visas, & comprobatas esse, verùm ejusmodi de illâ laudes percepisse, quæ illis quas tu novo huic invento decernere posses, majores esses.

Horum undè septuaginta schirro vel cancro, sive occulto, sive aperto, 36 laborarunt, omnium ergò mediâ parte plures. Laborarunt 6 colli tumoribus, vomicâ 1, fluore albo 3, asthmate 1, ventris duritie ac tumore 3, teste indurato 4, venereis denique malignisque ulceribus 15.

Ex illis, qui schirro aut cancro laborarunt, periêre 30 miserrimè, & incurabiles 6 manserunt, colli tumoribus laborantium 2 curati; 4 minimè; vomica curata; asthma levius indè creditur; 3 leguntur ventris duritie ac tumore curati; 3 curati à duro testiculo, 1 non. Tandem a malignis ulceribus ac fistulis 11 curati, 4 non curati.

Liceat, vir eruditiſſime, hæc ſingulatìm examinare. Deprehendimus primò ex eis, qui vero ſchirro aut cancro laborârunt, nullum, ſeu nullam (pleræque enim fœminæ ſunt) curatam eſſe, earumdemque $\frac{5}{6}$ miſerè periiſſe. Advertimus quoque hoc peculiariter a practicis *Breſlavienſibus* eſſe notatum ; ſcilicet, egregium Chirurgum *Hauptmann* apertè fatentem legimus, *apertum cancrum nunquam ſe cicutâ curaſſe, nec curatum a quopiam noſſe* ; nullum dexterrimum Chirurgum *Beer*, a nemine curatum ſe vidiſſe, nec ſe unquam ullum curaſſe ; exper. Medicum *Wiche*, cancro nunquam profuiſſe cicutam. Experti itaque idem ſunt *Breſlavienſes* quod ego, quod Viennæ multi mecum, quod centeni Medici *Galli*, *Itali*, *Germani*, *Angli*, *Belgæ* toties experti ſunt.

Si cum hiſce adeò univerſalibus obſervatis, omnem omninò excludentibus exceptionem, conferamus libellos de cicutâ, *primum*, *alterum* & *ſupplementum neceſſarium*, deprehendimus nihil frequentius a cicutâ, quàm cancros & ſchirros aut curari, aut emendari inſigniter. Libell. I, pag. 6. « In ſtrumis ſchirroſis, » in indurationibus glandularum, mammarum, & peſſimis cancris non exiguos effectus vidi, & expertus ſum. »

—Pag. 103. « Indurata & ſchirroſa in iiſ-
» dem etiam caſibus reſolvit, ubi alia
» medicamenta maximè penetrantia nihil
» efficiunt. » Pag. 104. « *Cancro ponit li-*
» *mites*, *&c.* Acre cancroſum emendat,
» fœtorem diſpellit. Ichorem cancroſum
» in bonum pus convertit » Pag. 100.
» Dexter *F. Leber* pertinaciſſimos ſchir-
» ros in diverſis corporis partibus reſol-
» vit. Cancros plurimos non modò in
» mammis, ſed & in facie, ad oculos,
» naſum, &c. emendavit, & quoſdam
» integrè curavit. » Sunt tot ferè ſchir-
rorum aut cancrorum curationes, quot
capita libellus habet.

Libellus alter ſic infit : « Quò ſæpiùs
» cicutam ægris exhibeo, eò majorem
» ſemper in hâc plantâ virtutem & effi-
» caciam admiror. » Paulòque poſt : « Opus
» non eſſe ſcribi eam ornare encomiis, cùm
» eadem accuratiſſimè capta experimen-
» ta eloquantur. Nec mirum; quum libel-
» lus integer innumeros penè referat a
» cancro aut ſchirro cicutæ perſanatos
» efficaciâ. Quare & pag. 287 legitur :
» *Cicuta cancrum curat. Id, multiplici ex-*
» *perientiâ convictus, vidi.* — Et pag. 291 :
» *Si fœminæ ſtatìm in principio mala ſua*
» *detegant, & ſi Medicus debito tempore*
» *cicutam adplicet, certus ſum, nos intrà*

» *aliquot annos rarò visuros mammarum*
» *cancrum. Et supplementi necessarii.* Pag.
» 37 : *Cicuta fundit schirros etiam anti-*
» *quos.* Pag. 40. *Cancrum curat, aut emen-*
» *dat ejus acrimoniam, pusque bonum in-*
» *ducit, sopit dolores.* »

Libello de *stramonio*, &c. p. 111 & 112, « *Cicutâ dissipari*, ait, *veros inve-*
» *teratosque schirros, & cancros & ulce-*
» *ratos.* »

Libello de *colchico autumnali*, p. 77, « easdem canit de cicutâ laudes, additque : « *Balneum ex cicutâ infusâ para-*
» *tum, cui totum ægrotantis corpus im-*
» *mergitur, multùm subindè juvat, efficit-*
» *que ut extractum internè datum longè*
» *citiùs schirros & tumores solvat, sanet-*
» *que ulcera cancrosa saniosa.* Pag. 92 :
» *Medicus . . . propriam uxorem cum om-*
» *nium stupore ab ingenti mammæ cancro*
» *liberavit.* »

Quid ad hæc omnia, vir carissime? Viennæ, ejusque singulari in vico, cicuta multiplici experientiâ *schirros veros, antiquos, inveteratos, pertinacissimos resolvit, curat, cancros ingentes exulceratos sanat.* — Dum interìm Breslaviæ, Pragæ, Mediolani, Parisiis, Londini, Amstelodami, tàm ii qui cæterùm laudant cicutam, quàm qui eamdem vituperant,

illam in cancris unanimi voce inanem clamitent, in schirris vanam reperiant. Quid, inquam, ad hoc? Cicutam Viennensem, ais, palàmque aiunt tecum omnes *Breslavienses* tui collegæ, miranda hæc solam patrare, indigenâ aliarum regionum curari nullos.

Sed *Viennensis* cicutæ libras, ultrà 500 *Viennæ* emptas, cæteræ regiones devorârunt, nec unquam schirros cancrosve veros se indè curasse, vel ipsi fatentur spontè, vel veritate convincuntur. Nonne vestri id unanimi voce clamant? nonne idem plures nationes?

Verum urgebis *ex Libello 2, de Cic. pag. 3*, amaras querelas, in hæc verba erumpentis scriptoris: « Doleo summopere, centenas aliquot libras extracti » cicutæ, ex herbâ siccâ parati, me inscio, *Viennâ* in alias regiones esse transmissas. » Quod nonnulli id semel ex recentis penuriâ fecerunt, dum ad externas regiones plus mittendum esset, quam de extracto ex recenti herbâ parato mitti posset, inficias non ivero; ast verò pharmacopœos sequentibus postmodùm annis ex recenti plantâ extractum parâsse, cùm certissimum est, tùm ex eo patet, quod ejusmodi nihil unquam posteà ab auctore expostulatum sit.

Si ergo unico anno id contigit, id annis posterioribus viribus non potuit derogare cicutæ : quin etiam quo anno id contigit, si minores, magnas tamen vires ejusmodi extractum possidens effectu bono apud extraneos laudatum fuisset.

Objicies mihi secundò auctoris querelas in *supplemento necessario*, pag. 8 & 9. « Extractum verò non ubique ad meam » mentem paratur. Sumunt enim succi » expressi ingentem copiam, eam in vase » cupreo igne satis forti coquunt, fœtor » indè ingens longè latèque spargitur, » avolat, quod est optimum; præthereà » nimiùm sollicitè succum & extractum » purificant. » Subterfugium hoc æquè ægrè quam ego, præstantissime Tralles, admittes, si mecum cogites, herbæ fœtorem, qui nunc optimus a conquerente auctore vocatur, maximè avolare, dum ad fomenta & injectiones aquâ coquatur; & tamen hujus decocti egregias celebrari, in ejus operibus, vires : deindè nec fœtorem in extracto parando avolare, cùm mures perpetuò redoleat. Et si a vase cupreo nocumentum pateretur, id profectò symptomata à cupro genita demonstrarent.

Sed quid immoremur ejusmodi excogitatis subterfugiis refutandis, dum auctori urbique universæ notissimum sit, ex-

tractum cicutæ, quo ego mea infelicia experimenta ceperim, quod ille, egoque ad exteras regiones, ubi nihil effecerit, miserimus, esse planè idem, esse de eâdem massâ, ex eâdemque areâ petitum, ex quâ petitum sit illud, quo ipse in Nosocomio suo, quo alibi, admiranda illa perficere se dicat, quibus cuncti ejusdem scatent libelli. — Cessent itaque aliarum nationum Medici experimenti defectum in cicutam suam patriam refundere: cesset ipse auctor, de cicutæ præparatione conqueri, dum constet, eodem cicutæ extracto, & me & multos exteros, quo ille usus fuerit, usos esse.

Sed hoc pacto conquereris, vir expertissime, non solvi, sed amplificari magis, quod explicandum mihi ænigma proposueras, cur scilicet tot *Viennensium* schirri cancrique curæ laudentur; intereà dum *Viennensium* Medicorum plurimi, dum reliqui per universam Europam Medici atque Chirurgi, cicutam deprehendant esse ad hosce morbos curandos ineptam?

In rem ingratam atque odiosam me inducis, optime Tralles: quum urgeas tamen, expedire eam conabor. Ac primò quidem, si repetas mecum cancri, schirri, scrophulæ, &c. definitionem, & quânam in re horum tumorum singuli a singulis dis-

crepent, mox defectum insignem reperies *in cicutæ libellis*, qui hæc nomina sic commiscent confunduntque, ut ad singulam ferè historiam indigeant correctione. Hoc semel admisso, ænigmatis tui solutionem pro parte habes.

Missa ad me fuit, ad convincendum me, die 3 Jan. 1760, fœmina quæ cicutæ usu a pessumo exulcerato cancro liberata dicebatur. Fœminam videram anteà nunquam, ideòque num vero cancro laborâsset, ab eoque biennali cicutæ usu curata esset, aliorum fide & testimonio credere poteram; ex enarratione autem mulieris haud ita fuisse suspicabar.

Biennio post urgebantur cicutæ patroni, ut curatis per cicutam suis me pervicacem & obstinatum hominem erroris convincerent tandem. Porrò hi qui integro quadriennio cicutâ usi, jam numerosum jactabant curatorum catalogum, aptum hominem, quem ad me mitterent, non habuêre, nisi eamdem hanc fœminam. Et quod abs te, vir clarissime, notatum velim, ipsa hæc fœmina, quæ, biennio elapso, in laudem cicutæ ad me missa fuerat, quæ post illud biennium adhuc unica erat, quam ad convincendum me, mandato coacti, aptam credebant, hæc, inquam, ipsa toto hoc ultimo biennio ob

novam mammæ duritiem cicutam ſumpſerat. Pulchrum profectò ad convincendum exemplum! Quo autem hanc ignominiam a cicutâ amoverent, & in me (quis crederet?) converterent ſchedulam dederant mulieri, in quâ monebar, mammam manſuetiùs examinare; quandoquidem eadem, ante duos annos rudiùs a me contrectata, induruiſſet ſic, ut toto hoc tempore cicuta de integro indiguiſſet. Capis facilè inane commentum. Itaquè examinavi denuò, ſed manſuetè fœminam; &, accuratiùs repetitâ cum illâ morbi hiſtoriâ, convincebar eamdem nec cancro unquam laborâſſe, nec quo morbo laborâſſet curatam eſſe. Eſt fœmina casûs ſecundi *libelli primi de cicutâ*. Tumores ambulantes, ſcrophuloſos, illa geſſerat per annos, varias corporis glandulas, alias poſt alias, afficientes; loco ſæpè motos emplaſtris, ſpontève; renatos ac mole aliquandò duriores cutimque nonnunquam inflammantes. Horum adhuc unum notabilem ſub axillâ gerebat. Repeto itaquè, ſi conſideres, illos, poſt millena experimenta, nullum mihi exhibere præter hanc mulierem potuiſſe; ſi attendas eamdem ſchirroſam cancroſamque fuiſſe nunquam, ænigmatis tui tenes ſolutionem.

Secundò, præcox gaudium de aliquâ ſub cicutæ uſu mutatione, quam etiam a naturâ factam cernimus, in causâ fuit, ut curari jam, imò ut curatum clamitarent, quod tale minimè erat.—Sic nuperrimè iterùm contigit, ut fœminæ comœdæ, a cancro per cicutam curatæ, fama aulam expleret urbemque, eaque tamen ipſa, elapſis abindè 14 diebus, cancro mortua ſepeliretur.—In *libello ſecundo* integra cancri cura totis tribus paginis deſcripta habetur mulieris, cujus maritus lignum jam aptaverat, undè ſtatuam Æſculapio ſuo conditurus eſſet, quam condituram mors brevi, ut privatis litteris novi, inſequuta prohibuit.

Et, ſi legas in eodem *libello ſecundo* a pag. 262 ad 277, ovantem de curato penè cancro hiſtoriam, an crederes, vir doctiſſime, cancrum paulò poſt adeò malignum fuiſſe, ut fuerit ferro amputandus? Nec dubites: in trophæum cicutæ excellentiſſimus comes maritus, nunc princeps a rege fratre creatus, exciſam mammæ portionem *Pragâ Viennam* miſit. Vidi, contrectavi, menſuravi illam. Tres pollices Viennenſes tumor, jam ſpiritu in quo ferebatur contractior, quâcunque menſuraretur in parte, in diametro latitudinis habebat; in eâ altitudi-

nis duos. Prudens Chirurgus unà abſtulerat papillam, & pollicem latum ſubſtantiæ mammæ ab altero papillæ latere, utpotè ſchirris minoribus refertam.

Tertiò, defectus memoriæ (cur enim odioſiore verbo utar?) in causâ fuit ut, in ægrorum tradendâ hiſtoriâ, cancrum exulceratum vocarent, ubi, v. g. mammæ inflammatio in ſuppurationem octidui ſpatio abiverat; & ut ambos pedes fœdiſſimis ulceribus exeſos ſcriberet, ubi non niſi parvæ puſtulæ duæ uni pedi aderant, quas prurientes puella ſcalpſerat, & ubi tertia demùm naſcebatur à candelæ ſcintillâ, quæ in idem crus, Chirurgo id examinante, infortunatè exciderat. Convictus hâc de re fui, quandò anno fortè ſeſqui altero ab illâ ita dictâ curatione elapſo, eâdem puellâ me conveniens, ejuſdemque mammæ novam inflammationem exhibens, præteritam dabat hiſtoriam ſuam. Curante me illicò Chirurgum vocari, qui in *libello ſecundo* de cicutâ hanc ut exulcerato cancro & cruribus exeſis laborantem deſcribi curaverat, juvencula eum de memoriæ lapſu convicit ſic, ut defendere ultrà ſe non poſſet.

Id generis hiſtoriæ plures exſtant. Lapſus memoriæ fuit, quandò curatas a ci-

cutâ ſcripſerunt duras viſcerum obſtructiones; intereà dum ex formulâ, quam mihi tradi curaveram, paulùm extracti cicutæ, cum copioſo ſapone Veneto, & gummi Amm. miſtum, datum fuiſſe intelligerem.

Lapſus memoriæ fuit, quandò, cicutâ in ulcere gangrænoſo nihil proficiente, cortex Peruvianus miranda præſtitit, & nihilominùs non huic, ſed illi, egregiæ emendationis laus adſcripta fuit.

Lapſus memoriæ erat, inter integrè a cancro curatos recenſere, eorumque curationis famam undique ſpargere, quos diro cancro enectos, dudùm recondiderat tumulus. Equidem teſtimonia complura poſſideo.

Sic omnibus ad ænigma reſpondiſſe videbor; tibi autem, vir celeberrime, ut ſentio, necdùm. Difficillimus enim in credendo urges me, ut reſpondeam ad innumera teſtimonia cancroſi, v. g. ichoris in pus album bonum mutati, decreſcentis mox doloris, ſedati cujuſvis ſymptomatis, reditûs cùm ſomni deperditi, tùm appetitûs proſtrati, univerſique corporis toroſitatis; quæ ſub uſu cicutæ animadverſa, omnia reditum ſanitatis manifeſtè demonſtrant.

Magna profectò narras, optime Tral-

les, ſed audi & alteram partem. Primò hanc ichoris in pus converſionem id per ſe non demonſtrare probabo; deindè docebo, non omnium obſervatis bona hæc ſigna cicutæ concomitari uſum.

Primò, belladonna Turnefortii, atropa Linnæi, ſolanum furioſum, ſolanum maniacum, στρύχνον μελανοκέρασον, ex clarorum virorum conſilio & præſcripto, a me data cancroſis, eumdem effectum edidit, fœminarum cum interitu. Vide experimenta mea hâc plantâ facta, *Rat. Med. Tom.* 2.

Secundò, neque ego ichoris in pus converſionem obſervavi tam frequentem in his quibus cicutam dedi ego, nec in illis quibus per alios eâdem datâ adfui, ulceraque inſpexi; neque idem alii ita obſervârunt. Nonne & id mecum veſtri *Breſlavienſes* agnoſcunt? In eorum teſtimoniis plures ægri recenſentur, quibus omnia in ambitu exſudans ichor eroderet; alii quibus a cicutâ ichor niger; alii iterùm ulcus multò ſordidius, latiùſque ſerpens. Appetitûs autem proſtrationem in omnibus ſuis acerbè conqueſtus eſt clar. Chirurgiæ profeſſor Neubaur. Textorique ipſi tuo, annon cùm tumor major, tùm ſordidius ulcus, tùm novus ſanâ in mammâ tumor, & in pleriſque glandulis,

obſervabantur, intereà dum cicutæ aſſiduum faceres copioſumque uſum? Et annon matronæ tuæ ſchirrus a Viennenſi cicutâ in peſſimum ſe convertit carcinoma, &c, ut ultimis litteris notas, jam occidit? Et in alio numquid non pro pure ſanguinolentus a cicutâ ichor? Omnes tandem veſtri nec bonum corporis habitum reſtitutum cancroſis, nec ſæpè etiam vim dolores ſopientem, ſomnumque conciliantem ſe expertos teſtantur. Videas ergo quàm parùm hæc omnia cum libellis de cicutâ conveniant.

Et ut pauxillùm adhuc in hoc argumento immoremur, quandò auctor ſic vim ſopientem dolores, ac ſomnum cenciliantem, cicutæ extollit, quandò in *ſupplem. neceſſario*, pag. 40, ait: *Sopit dolores;* quandò ibidem, pag. 66, ſcribit. *Sæpè mingendi dolores opio citiùs ſiſtit;* cernimus tamen illum opio frequenter indiguiſſe. Lib. I, p. 33, 51, 56, 57, 75. *Libello ſecundo*, pag. 12, 14, 48, 49, 103.

Quin & incomprehenſibile, ac planè paradoxon videtur, id ſtatuiſſe. Præterquam enim quod nec in meis, nec in *Breſlavienſium* pluribus, ea vis cicutæ confirmata fuerit, ſi conſulam auctorem, quanam doſi, à cicutæ extracto,

hanc vim edi putet, video à granis 2 de die obſervâſſe eamdem, & ſic porrò à granis 4 ab 8, a 12, a 20, 30, 60, 120, 180, 240, idque haud rariore admodùm caſu, ſed frequenti. Si granum opii conſuevit homini blandum conciliare ſomnum, erunt alii qui indigeant duplâ doſi, rariores qui triplo, quadruploque, rariſſimi qui quintuplo, qui ſextuplo uno die indigeant. Cicutæ autem doſis cur adeò immensè augenda ſit, ex comparatione cum cæteris paregoricis haud facilè capitur.

Et in ægris, qui carentes dolore, ſomnoque gaudentes, cicutâ propter exulcerationes indolentes utantur, quo manet vis ſopiens? Numquid quis inculpatè ſumet opii doſin conſuetâ quinquaginta duplo majorem? Utique vir mihi notus, qui antiquâ atque pertinaci exulceratione versùs tempus dextrum minimè dolente laborans, ſuaſque tres extracti cicutæ dragmas trimeſtri ſpatio quotidiè abligur
iens, ut citrà ullam emendationem, ita quoque citrà ullum auctum ſomnum, eam copiam aſſumpſit.

Itaque ſi primo tempore cicutæ granis 4, 8, 10 bonus ſomnus adeò frequens erat, cur in libellis poſterioribus præſenſentatur ejuſdem ſemiuncia, quæ ex prio-

ris libelli calculo grana opii 24 imò 30 continere debet; cur, inquam, ſoporiferi remedii tam enormis in die unâ præſcribitur doſis, citrà vel minimam indicatam cautelam, ut ratione peregorici fieri oportebat?

Auget paradoxi mirabilitatem hocce obſervationum par. *Lib. de cicutâ* 2, pag. 234. Miles, multa a cicutâ ſperans, unciam extracti mediam quæ pauxillatìm adſumenda fuiſſet, die unico abligurit. Nullus indè ſomnus, ſed alvus per triduum quinquageſies.

Secundò, formula cujuſdam Noſocomii & publica teſtimonia certiores nos reddunt de cujuſdam Medici audaciâ, qui, a conſuetâ cicutæ extracti doſi nihil lucratus, integram ejuſdem quotidiè libram, longo tempore, formâ pilularum, vel in mixturis, decoctiſve ſolutam, ſingulis ægris propinavit, abſque tamen vel minimâ mutatione in ſomno, vel in excretionibus. Ubinam hæc virtus ſoporifera? æternus debuiſſet obrepere ſomnus.

Sed hâc occaſione pro ænigmate ænigma tibi liceat, vir clariſſime, proponere. Explices mihi, quî demùm intelligam ſequentia. Lib. I, pag. 103. Hoc remedium nullam corporis actionem, ſecretionem,

cretionem, aut excretionem turbat, agit *modo insensibili*, nec alvum, nec vomitum, nec sudorem movet. Hæc scribebantur, dùm triennii tempore innumera dederat experimenta cicuta, ut ejus effectus jam certò certiùs constare deberent. — Videamus *supp. necess.* pag. 35. « Raro tamen alvum movet, & rarissimè vomitum; quandoquè transpirationem auget, sæpè autem urinam copiosam & glutinosam prolicit. Etiam » ipsi auctori, tomo 2, pag. 284, urina » a cicutâ copiosior. Iterùm *supp. necess.* » pag. 35. In plurimis tamen ægris nullam » excretionem sensibiliter auget » — Mox verò, pag. seq. » Auget secretiones, » undè sæpè aures, nares, os faucesque » siccas reddit, humidas, transpirantes. — Pag. 38. » Producit sputum, ut jam mo» nuerat, lib. I, pag. 107. « Cicuta non » impedit sputa, sed ea potiùs movet, pergit supplem. necess. pag. 27. « Prodiit » urina copiosa cum multo glutine, p. 66. » A granis duobus quotidiè extracti sumptis urina copiosissima, cum multo glu» tinoso sedimine : dùm verò uno die à » cicutâ abstinet, pauca est urina, nec » videtur sedimentum. » Si hæc ita se haberent, cicuta profectò potentiùs diuretica famoso oxymelle colchicato foret.

Dùm hoc mihi, vir clariſſime, explicabis, ſimul addas, obſecro, aliquam ſuper diætâ elucidationem. *Lib.* enim 2, pag. 291. « Cicuta nunquam ſtrictum exi-
» git vitæ regimen. Admittit ea omnia
» quæ ægri ventriculus facilè digerit, &
» quæ in bonum nutrimentum tranſeunt.
» Neque interdicitur vinum, neque vitan-
» tur acida, prudenti & moderatâ co-
» piâ ſumpta. » Et *ſupp. neceſſar.* p. 64. Acida pro condimento conceduntur, prædominantia verò minùs conducunt : vinum bonum iis qui aſſueverunt, non nocet. Aſſueverunt autem penè Auſtriaci omnes, ideòque nullis eorum cancro laborantibus & cicutâ utentibus nocet. Attamen lib. I, p. 105, cancroſis & ſchirroſis mammis nocere acida vinoſa, &c. In tantâ ſecum contradictione adhuc ignorat obſervationem planè memorabilem clariſſimi *Breſlavienſis*, quem veneror, amici, quam legi attonitus, *certò ſcilicet ſe ſcire, in cicutæ uſu nihil nocentius eſſe carne ejuſque jure.* Profectò obſervationem ejus falſam noſtrorum Medicorum nonnulli clamabunt, qui cancros peſſimos perſonare ſe gloriantur, juribus carnium, quibus cicuta incoxerit. Quamvis multa tibi, vir celeberrime, reſpondi, ut ſatisfeciſſe videri poſſim, tamen ad-

râ tale quid fieri; an tu, vir amicissime, an ego, an omnes nobiscum effectum adeò stupendum cicutæ adscribere gravaremur? Erraremus tamen.

Cancro mammæ domicella Ultrajecti affecta ex summis viris, celeberrimis Ultrajectinæ Academiæ professoribus, nihil sibi auxilii superesse, præter amputationem, intelligit; eâ tamen lege, ut propter alium sub axillâ tumorem operationem non subeat, nisi consultis priùs *Leydensis* Academiæ oraculis, Albino, Gaubioque. Igitur Lugdunum Batavorum proficiscitur, hos consulendi causâ. At operationem propter illum axillæ tumorem dissuadet uterque. Pallians autem unguentum magnus præscribit Albinus. Repetit illa domum, uni Deo rem committens, nec unquam usa unguento.

Elapso aliquo temporis spatio, contigit ut celeberrimus Gaubius ab ægro Ultrajectum invitatus fortè fortunâ Chirurgum videat, qui secum Albinoque consulentem virginem fuerat comitatus: a quo hic mox percunctari adhuc ne virgo vivat? Et viventem exclamare ille & citrà cujusque sanatam opem. Attonitus, vixque præ gaudio se possidens, amicus ille hominum Gaubius, eam invisere tendit, ab eâdemque, ut monuerat Chirur-

gus, percipit, nullo auxilio unquam adhibito, nec Albiniano quidem unguento, mammam, haud diu poſt iter Lugdunenſe, detumeſcere cœptam tandem unà cum axillæ tumore paulatìm ad perfectam rediiſſe ſanitatem.

Ex illâ mirandâ hiſtoriâ ipſe clar. Gaubius, noſque cum eo omnes concludimus, in cicutæ laudem nos eamdem enarraturos fuiſſe, ſi, quo tempore citrà ullam medicinam juvencula curaretur, hanc ipſi herbam dediſſemus.

Acad. Reg. Soc. Pariſ. anno 1703, conſulatur. Vir nobilis in foſſam cum equo præcipitatus, teſticulum læſit. Labentibus quatuor exindè annis, teſtem ſenſim creſcere atque indureſcere, indolentem tamen, percipit. Anno quinto tumor cùm ingens, tùm durus, acutè dolet. Scrotum empiricus aperuit, quoſdam liquores injecit; incassùm autem his tentatis, oportuit ut vulnus denuò conſolidaretur. Reſolventia emplaſtra non profuerunt. In conſilium vocati Chirurgorum *Pariſinorum* celeberrimi, amputationem quidem propoſuêre, ſed quibuſdam de cauſis periculi vacuam haud eſſe addiderunt. Dubiæ aleæ committere ſe ille nolens, *Lugdunum Gall.* petit; convocatoſque ibidem celebriores in arte ma-

huc hæſitantem te percipio, & ſeriò rogantem, cur, præter libellorum auctorem, tot clari apud ipſum laudati viri, aliique venerandi Medici, cancros curatos ſe vidiſſe apertè teſtentur, dùm intereà numeroſi per Europam Medici, veſtrique omnes Breſlavienſes, utut quidam cicutæ dediti, id conſtanter negent.

Reſp. prima. Non omnibus Medicis maximèque junioribus licuit adeò felicibus eſſe, ut duros tumores ritè internoſcere noverint. Itaque ut hunc errorem in nonnullorum libros irrepſiſſe ſuprà demonſtratum fuit, ſic in eumdem incidiſſe, multorum data, typiſque evulgata teſtimonia manifeſtè arguunt.

Reſp. ſecunda. Dùm multi, auctoritate perculſi, nihil fidentius aſſumerent, quam verè curari ſchirros & cancros: dùm fallentem passìmque mendacem ſub cicutæ uſu emendationem ſuſpicerent, mox illi ſe curare cancros, eoſdemque propè curatos eſſe altâ voce clamitârunt: multorum tamen eorum in honorem aſſerere teneor, fuiſſe tanti candoris plures, ut, dùm deceptos ſe viderent, præcox aſſertum revocarent, quemadmodùm voce nonnulli apud me, litteris alii, illud reverà revocârunt. De animi aut levioris aut perverſi hominibus, qui, ut magis

placeant, aut altiùs promoveantur, casus subornent, hîc sermonem facere non convenit.

Sed tertiò, historia medicinæ nobis res ejusmodi suppeditat, ut statui opporteat, plures eximios viros citrà ullum detrimentum honoris in hunc errorem labi potuisse.

Egregius *le Dran* refert nobis fœminæ cancrum, qui, si fuisset amputatus, 7 vel 8 libras pondere æquâsset, in gangrenam abiisse, totâque suâ mole bidui spatio de corpore fuisse separatum. Magnâ hæmorrhagiâ prægressâ, pus bonum apparuisse purumque ulcus: labia ulceris, elapso 4, 5 septimanarum spatio coire, bonamque renasci carnem cœptam esse, formatamque cicatricem, quâ ulcus, quod vix pollicem latum integrè tegi speraretur: corpus cæterùm esse perfectæ sanitatis: ut natura id quod ars, si potis fuisset, facere debuisset, præstitisse per se ipsam videretur. Verùm enim verò cuncta iterùm immutata fuisse. Subnasci quippe in medio relicti ulcusculi cœptum esse tuberculum, quod pedetentim cicatricis æquaret magnitudinem, & minore quam mensis spatio in priorem excresceret magnitudinem.

Ponamus, cicutæ sub usu, naturæ ope-

eosdem mentitos, spectent. Jamque proprius animi candor viros in arte graves eò redegit, ut cicutæ in his tumoribus curandis efficaciam ignaviùs tueantur, tuerique imò vix audeant ultrà. Ne tamen hæc planta eamdemque, quam toties sæculis superioribus subierit, subeat denuò sortem, laudant eamdem in ulceribus fistulisque malignis, faucium, linguæ, labiorum, genæ, juguli, colli, crurum, brachiorum, universarumque denique corporis partium. Video plures vestrûm velle hâc saltem in parte patrocinari eidem.

Æquum est & cicutæ vires in hisce morbis examinare, ut demùm tibi, vir existimatissime, omni ex parte obedivisse videar.

Plura tentavi hujus generis experimenta cum cicutâ, quæ mihi pro votis non cesserunt; tentavêre vestrûm plures sine successu; *Viennensium* simile tentamen sæpè frustrà fuit. Attamen & vestri & nostri felicem gavisi sunt tentaminis sui effectum, haud omninò rarum, quem an cicutâ, quâ cicutâ, ediderit, examinandum est.

Liceat examini huic præmittere, quæ nuper *Tom. V Rat. Med. Cap. 6*, §. 2 scripsi. « In morbis cutaneis, antiquis,

» ulcerosis, in ulceribus spinæ ventosæ
» fœdissimis, in tumoribus arthriticis,
» continuamus id, quod superioribus an-
» nis innui, pulchras observare, aut emen-
» dationes, aut curationes eorum, quos
» consueta artis auxilia haud levaverant,
» ope sollicitæ continuæque applicatio-
» nis aquæ calidæ, sive puræ, sive, ne
» forsan pauperes eam præ nimiâ simpli-
» citate negligant, repudientve, medi-
» catæ redditæ à malvâ, parietariâ,
» chærophyllo, althæâ, sem. lupini, &c.
» vetustiores, viros in arte graves, hâc
» in parte imitati, qui, dùm consuetis
» unguentis, & emplastris ejusmodi ma-
» la, aut difficiliùs, aut nullatenùs cu-
» rari cernerent, fomenta aquosa, red-
» dita ejusmodi vegetabilibus medica-
» mentosa, vehementer laudârunt: Dios-
» corides, inquam, Dodonæos, Clu-
» sios, Lobelios, Sanctorios, & novis-
» simum auctorem præclarum Morgagni,
» qui epist. 37, §. 3, calcaream po-
» dagricorum materiam solâ aquâ calidâ
» fuisse resolutam refert. »

Ut hoc probem, unam adferam alte-ramque historiam: juvencula annos nata 24 me cum suâ matre convenit 17 Febr. 1759, genam suam sinistram exhibens, ab anno ætatis octavo, scilicet a 16 an-

gistros, ejusdem reperit cum Parisiensibus sententiæ esse. Ille verò nihil horum. Domum reversus exactâ diætâ usus est, & subindè rhei tantillo. Spatio anni necdum decurso, moles, durities, dolor, testem relinquunt, sic, ut illo equite nihil sanius.

Similem morbum si, adeò inopinatò, dùm cicutam exhiberemus, consanescere cerneremus, an dubitaremus cicutæ curæ adscribere laudem? Annon probabile magnos in arte nostrâ viros sic ferè inevitabiliter posse errare.

Sed est & alia ratio nostri hâc in parte erroris. Tumor nec schirrosus, nec cancrosus, origine, incremento, duratione, magnitudine, duritie, asperâ inæqualitate, dolore ac purpureo cutis colore, potest nobis cancrosus videri, ut cancrosus curari, qui neutiquam cancrosus sit. *Tom. III, Rat. Med. a pag. 323 usque ad 330*, historias complures enarravi, quæ cùm mihi tùm aliis schirri ac cancri larva imposuerunt, quas ne longus sim quæras ibidem. Sed cogita mecum hydaticum tumorem, quem ibidem schirrum, qui in cancrum vergeret, mentitum esse videas, a naturâ resorberi cicutâ interìm exhibitâ; an facilè nobis condonandum non foret, quod primo impetu

cicutæ laudem tribuerimus? Profectò nemo nobis vitio hoc vertere possèt; modo quod honestos, quod candidos viros decet, eâ essemus ingenuitate, ut, quandò posteà experimentum, in millenis aliis, qui schirros cancrosque referrent, tumoribus, falleret, quandò etiam ejusmodi tumoris amputatione de errore convinceremur; quandò denique ipsorum lympham posse resorberi clarè intelligeremus; ut inquam, tunc nos primo illo impetu præmaturiùs exsultasse fateremur. Annon credis, vir clarissime, celeberrimi *Morgagni* uxoris, cujus ibidem memini, tumorem, strumosamque ibidem *Valisnerii* puellam, ad hoc tumorum genus referri meritò posse? utique purgantia, eaque repetita, imò spontaneæ diarrhææ, plus simplici vice ejusmodi tumores mihi videntur abstulisse. Et miles, cujus memini, qui, sive a cicutâ, sive errore diætæ, sive spontè, alvum quinquagesies tridui spatio deponendo enormes suos omnium ferè colli glandularum tumores amiserat, annon quoque id genus tumorum habuisse videtur?

Atque ita tibi, vir honoratissime, sufficienter respondisse videor ad ea, quæ ad schirrosos & cancrosos tumores, seu veros, seu falsò sic creditos, seu tandem

integrè curatum, cicatrice inferiùs tantùm paulò rigidiore, & novâ cute cum antiquâ minùs concolore. Sæpiùs verò postmodùm indiguit medicinâ, priorum cachexiæ symptomatum nunc his, nunc illis redeuntibus, ulcere autem benè clauso.

Puero similiter a longo tempore pertinaciterque affecto solus usus aquæ cum malvâ coctæ, interpolatis purgantibus, curam publicè perfecit.

Puella rustica, propter tumidas induratasque atque hinc indè fœdè exulcerantes universi colli glandulas, æstate anni 1761, cicutæ extracto & fomento in nostro Nosocomio incassùm tractata, tandem cicutæ valedicto, simili, quâ prior, methodo sesquianno posteà decurso curata est, domumque remissa. Recidivam cessantibus mensibus passa rediit in Nosocomium finiente Octobri 1764. Spatio hoc trimestri, aquosis emollientibusque tantùm fovendo ulcera, & menses restituendo, curatam remisimus.

Horrenda manûum crurumque elephantiasis, eaque quinquennii, epoto decocto althææ, partibusque affectis eodem diu ac noctu fotis, balneisque, eousque hâc hyeme curata est, ut vas, libras octo liquidi capiens, deciduis crustis tuberibus-

que expletum fuerit. Renaſcens cruſta eodem auxilio decidit. Si morbus non curetur, id quod ignoro, ſaltem ab aquæ calidæ uſu fotuque capit inſigne levamen.

Sed ut hæ curæ ſucceſſêre mihi, ita plures omnem meam operam luſerunt; id quod & cicutâ utentibus veſtris noſtriſque practicis, pari modo contigit.

Attamen mecum, vir clariſſime, cenſes, opinor, id evidenter ex dictis conſtare, quod, ſi ejuſmodi curæ nonnunquam perficiantur, eæ perficiantur unico aquæ calidæ fotu, ſive ea pura fuerit, ſive cum uno alterove ſimplicium cocta. Sed corpora vides uno atque alio tempore huic curæ faventiora. Sic juvencula mea non curabatur olim fotu cicutæ, curabatur autem poſtmodùm chærophylli decocti fotu. Et, quum conſtet experimento multiplici, non herbam, ſed aquam adduxiſſe ſalutem, contingere poteſt, ut priùs applicatum, vel chærophylli, vel althææ, vel malvæ decoctum nil proſit, poſtliminio verò proſit illud cicutæ, & vice versâ, ut, hoc primùm applicato, non curetur morbus, applicato verò illo deinceps, curetur. Apertè id juvencula, plures alii, evincunt.

Vera proindè ratio patet curationum, quæ cicutam famoſam reddidêre. Capi-

nis, fœdè exulceratam, ſic quidem, ut jam indè oculo ſuo, quem vehemens inflammatio frequenter occupabat, valdè metueret. Octennium erat, quod incaſſùm ſibi eſſet ptyaliſmus per mercurium tentatus. Pædore prætereà anxia & tuſſiens, menſes habens raros, alvumque ſegniſſimam, ope medicâ undique egebat. Exploravi itaque, indè uſque ad anni 1760, 25 Martii diem, omnia artis interna externaque auxilia, quæ nota mihi in arte erant, & quibus nonnunquam ejuſmodi mala cedere videram. Sæpè ſæpiùs ſpes curæ affulſit, totieſque iterùm evanuit. Omnium maximam ſpem faciebat dragma lapidis medicamentoſi Crollii, cum lib. II aquæ miſta: verùm neque etiam hinc conſtantia curæ. Itaque a 28 Martii die 1760 cicutæ extractum dedi, augendo quotidiè doſin, donec ad dragmas ejuſdem duas pervenerim, eamque doſin diu continuarem. Faciem autem primò emplaſtro de cicutâ texi, eoque incaſſo, decocto cicutæ diu noctuque multo tempore fovi. Bimeſtri elapſo, ob febrim quotidianam prurienteſque totius corporis puſtulas, aliquantiſper hanc methodum interrumpere debui; febre cum puſtulis devictâ, reſumpſi. Cogit deindè vomitus ſanguinis & œ-

dema crurum desistere parumper. Sed his mutatis in meliùs, ad eamdem methodum reditum est. Sub diù protracto cicutæ usu, & tumor ad axillam nascebatur, & fluor uteri albus, quod utrumque iterùm sub ejusdem continuato usu cepit. Tandem quod sub prioribus medicandi modis dolueramus, idem & hîc, ut nunc læti exsultaremus, nunc iterùm spem omnem curæ abjiceremus. Cùm nihilominùs remedii fama me animaret, tertiam hanc ejus resumptionem a 18 Febr. 1761 ad 7 Aug. protraxi. Tunc verò cachexia universa, & non minùs dolentia quàm irregularia catamenia, à cicutâ abstinere, urgentibus maximè occurrere symptomatis jusserunt. Mense Octobri a genâ versùs labii inferioris tam internam quàm externam partem, subnascebantur bullulæ instar phlyctænarum, quibus succo sempervivi majoris & melle rosaceo profui. Tandem corpore nunc emendatiore ad diem 28 Jan. 1762 faciem fovere cœpi chærophylli siccati decocto, sic ut calidè totâ die ac nocte applicaretur, & spongia eo madida continuò, non ablato apparatu, renovaretur. Undè intrà 14 dies mutatio adeò insignis, ut quotquot aderant medicinæ studiosi mecum obstupescerent, brevìque posteà ulcus cernerent

dolere nunquam ſatis poſſim. Quum enim principio ægrè ferretur, me mammæ tumorem mobilem, eumque in corpore unicum, enucleando curâſſe, ac ſi cicutam ſuâ privare gloriâ intendiſſem, debui deinceps omnes ejuſmodi fœminas cicutâ tractare, pereunteſque cicutâ videre, quas ferro alioquin ſanas integraſque conſervaturus fuiſſem. Horrorem profectò omnium per Europam Medicorum animis incutiat oportet memoria triſtis millenarum mulierum, quas ab elapſo retrò ſeptennio hæc planta aut longè præmaturiùs occiderit, aut unico ſalubri ferro detraxerit.

Nunc ipſe per te, æquiſſime ac candidiſſime Tralles, judices velim, utrum cicuta nocuerit mortalibus, nec ne?

Atque ita abundè me ad omnia tua reſpondiſſe arbitror. Interim, vir amiciſſime, miſerandam meam cogita ſortem, quem, quod torrenti me opponam, odium iniquè proſequitur, calumniæ impunè lacerant, & omne deſerit tutamen. Vivo nihilominùs, & tranquillus. Omnipotentis in ſinu recumbo. Illi, illi, inquam, unicè debeo, quâ ducor, animi fortitudinem, majorem debiturus, dùm quæ impendunt mihi ſupervenerint. Non

enim cedam ultroneus. Professoriam spartam, quoad licuerit, ornabo. Vale, ama me, perpetuòque in tuis habeto.

Dabam Viennæ 3 Feb. 1765.

FINIS.

tur undè *Anglus* ille, contractus atque rigidus totus, cujus reſtitutio publicas explebat novellas, ad ſuarum redierit uſum partium. Intelligitur cur Pariſienſis medicus celeberrimus *Maloët*, *Acad. Reg. Soc. Par. anno 1728*, exſiccationem & contractionem ſummam cruris, ex quo nata anchyloſis erat, ob eamque jam decreta cruris amputatio, tam feliciter reddiderit ſanitati. Curam huic ſimilem pro parte jam abſolvi balneo aquæ, bis die adhibito, pauculùm lavendulæ aquæ addendo. Nec *Cl. Maloët*, nec alii, nec ego ad ſimilia indigemus cicutâ: &, qui ſimilia fotu & balneo cicutæ perfeciſſe ſe gloriantur, concedere demùm nobis debent, vi aquæ, & non cicutæ ſe ea perfeciſſe.

Quæri tandem poſſet, *an cicuta nemini unquam mortalium noceat?* Negatur audacter. Sæpiùs repetita legitur negatio. Utinam demùm id adfirmare ſeriùs ocyùs non cogeremur! Profectò completa illa omnium totius corporis partium inſenſibilitas, quæ, nullo ejuſmodi morbo prægreſſo qui ſimile quid gignat, nata ſub uſu cicutæ, & pertinax obſervata *Breſlaviæ* fuit, pene cancroſo bonum pus jam dante; quemadmodùm aliqui eorum, qui

cicutâ in cancro utuntur, antè mortem experiri ſolent; ulcere cancroſo præ deficiente pure, aut ichore jam ſicciori; id quod paſſim illis contingere cernimus, qui a cancro per cicutam curati dicti, brevì moriuntur; an, inquam, cicutam ſuſpectam reddere non poſſit?

Socraticum per artus gelu, multis ſeptimanis moleſtum & ad mortem uſque perſeverans, in publico civitatis miniſtro, ſub uſu cicutæ genitum, bini clari & ſeniores urbis Medici mecum gemebundi viderunt.

An autem publica, eaque ferè quotidiana exempla non proſtent, quæ demonſtrent ſchirroſis & cancroſis mortem a cicutâ accelerari? Luculentâ 30 ferè annorum praxi edoctus, fœminas complures, quas dirum hoc malum adfligebat, curâ, ut vocant, palliativâ, bono regimine, per plures minoreſque annos in vitâ ſervabam; quod idem mecum omnes practici ſe feciſſe lætantur: ex quo verò cicuta percrebuit, vidimus has fœminas omnes, quibus & ego, & alii cicutam conſtanter dedimus, miſerrimè, ſolitoque citiùs perire. Quin & nonnullis, indirectè ſaltem, me cicutâ vehementer nocuiſſe, eſt quod acerbè

ANTONII DE HAEN,

DE MAGIA

LIBER.

ANTONII DE HAEN,

S. C. R. A. MAJESTATIS
CONSILIARII ET ARCHIATRI,
NEC NON
MEDICINÆ IN UNIVERSITATE
VIENNENSI
PROFESSORIS PRIMARII,
PLURIUM ERUDITORUM SOCIETATUM
SOCII,

DE MAGIA
LIBER.



PARISIIS,
Apud P. Fr. DIDOT juniorem, Bibliopolam, ad ripam Augustinianorum, propè pontem Sancti Michaëlis, sub signo Sancti Augustini.

M. DCC. LXXVII.

Cum Approbatione, et Privilegio R



EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO EUGENIO,

VICE-COMITI,

S. R. E. CARDINALI

AMPLISSIMO,

ANTONIUS DE HAEN.

MEDICAS meas qualescumque lucubrationes tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, dicare ausus fui, & partìm quidem quòd non in solis medicis, verùm etiam in divinis Codicibus, in sacrosanctæ Ecclesiæ doctrinâ, inque fontibus theo-

logicis, haud omninò oscitanter versarentur; quorum sine ope aut intelligere, aut exponere eum qui de magiâ faciendus erat sermonem, æquè vanè quàm arroganter suscepissem: partìm quòd occasio nulla videretur opportunior tibi sinceras meas de tuâ erga me humanitate, benevolentiâ, familiaritate atque existimatione gratias publicè testificandi.

Morem porrò iis penè cunctis familiarem, qui summis in Ecclesiâ reve publicâ viris suos dicant dedicantque labores, in condignas illis laudes exspatiandi, tenuior hæc mea dedicatio minimè imitabitur; cùm quòd laudum humanarum sis osor acerrimus, tùm quòd ad tuas, EMINENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *laudes, pro dignitate celebrandas, non meâ raucâ tenuique fistulâ, sed tubâ grandinosâ foret opus. Vale, & ultra merita amare me perge.*

Dabam Viennæ XIV *Kal. Oct.* M.DCC.LXXIV.

PRÆFATIO.

MATERIEI pertractationem edo, cujus vel titulus ipſe forſan offendet; ſiquidem poſt toties recuſam magiam, poſt acres adeò & ſerias, de eâdem vel exiſtente, vel non exiſtente lites, eò demùm nunc vergit complurium ſapientum opinio, ut neque unquam extitiſſe, neque hodiè extare, imò neque exiſtere poſſe, hæc ars deteſtanda videatur; eòque magis, quòd ipſa hæc negans opinio, ad tranquillitatem reipublicæ conſervandam tutiſſima multis appareat, & ad innumera judicia iniqua, rogoſque immeritos præveniendos aptiſſima.

Si hæc opinio veritati niteretur, digna profectò fòret, quam ulnis amplecteremur ambabus, quam roſtris unguibuſque defenderemus.

Nullus ultrà magiæ rumor, nulla magorum atque ſagarum ſuſpicio foret; æternâ tandem oblivione ſepelirentur criminalia eccleſiaſticorum politicorumque tribunalium acta, omninò numeroſa quæ non niſi in judicum opprobrium, univerſique generis humani dedecus, extare dolemus.

Minimè verò hujus erit felicitatis & usûs hæc eadem opinio, ſi illi, quâ ſine ſtabile nihil, veritas deſit. Et qui extantem credunt, qui omnipotentis Dei honori ac majeſtati, Eccleſiæque autoritati, detrahi per inficiantem ſententiam arbitrantur, ſuam utique vindicabunt; veritique ne, ſi opinio negans invaluerit, alicubi terrarum impunè exerceatur magia, metuque pœnarum ſoluta increbreſcat, nullum non movebunt lapidem, ut quidquid hâc in quæſtione & verum, & demonſtatum habetur, clarâ in luce collocetur. Utinam

modò demonſtrari ſic magia poſſet, ut quæ in tribunalibus per negantem ſententiam nunc ſuppreſſa creduntur, non videantur in innocentium detrimentum repullulare! Utinam ea eſſet hujus demonſtrationis vis, ut maleficorum rumorem, atque ſuſpicionem, longè certiùs ſuffocaret, quàm hùcuſque oppſita ſententia potuit! Porrò hoc factu impoſſibile eſſe nullus video, quin perfici facili negotio feliciter reor poſſe.

Exemplum hîc liceat ex medicinâ petere, & ad melancholicorum me convertere gentem. Centeni centenos mihi morbos quibus impeti ſe conqueruntur, enarrant tantâ emphaſi, tamque ſeriò, ut ni admiſero, iraſcantur, ni credidero, inhumanum me appellent ineptumque medicum. Nihil interìm mihi compertius eſt, quàm quidquid hæc queribunda plebs omnis effutit, aut totum, aut pro

parte ſaltem, non niſi luxatæ phantaſiæ eſſe progeniem. Alterutra proindè ineunda mihi via eſt: vel enim, quo unico ictu præſcindam totum, veram melancholiam negabo; vel ſic melancholiam ipſis admittam, ut deſinere diſcant eâdem abuti. Si viam elegerim priorem, veritati detraham, cum verâ melancholiâ nihil certius exiſtat, meoſque imaginoſos homines, quibus vera melancholia in confeſſo eſt, potiùs agam in furorem: poſteriorem autem viam ſi prætulerim, morbum melancholicum, eumque polymorphum illis dabo & explicabo; ne verò explicitâ ipſis veritate abutantur, blando prudentique ſermone conabor vim imaginationis paulatìm infirmare, inque curæ ſpem erigere, ſic ut ipſi tandem quantum melancholiæ verè exiſtentis amplificatione a vero aberrarint, ſibique nocuerint, velint, nolint fateantur.

Hunc in modum magiam tractare, & oportet, & mihi animus est. Existere eamdem reor. Probare id conabor sic, ut ad superstitionem, atque credulitatem hominum diminuendam, & demùm tollendam, longè efficacior hæc demonstratio futura sit, quàm unquam ab ejusdem negatione sperari potuisset. Multa quidem promitto, sed promissi vadem habeo, eumque eximium, virum reverendum *Fredericum Spee*, qui ineunte sæculo XVII diversis in locis sagarum nonnullas ad rogum usque concomitatus est. De hoc autem *Jesuitâ* egregio quædam hîc memorare oportet.

Edidit anno 1631 suppresso nomine libellum 459 paginarum in-8°, cui titulus : *Cautio criminalis, seu de processibus contra sagas liber, ad magistratus Germaniæ, hoc tempore necessarius, tùm autem consiliariis & confessariis principum, inquisito-*

ribus, judicibus, advocatis, confessariis reorum, concionatoribus, cæterisque lectu utilissimus. Posuit autem pro epitome, sive summâ totius libri, verba *Salomonis* Eccl. III, v. 16: Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem. Tùm & ex *Psalmo III v. 10*: Et nunc reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram.

Liber hic magnæ famæ in *Germaniâ* fuit, ast, quod miremur, adeò in vicinâ *Galliâ* exiguæ, ut neque *Ludovicus Moreri in Dictionario edit. 1740*, nec ejus editum anno 1749 *Supplementum*, autorem ejusque librum cognoverint. Æternæ verò memoriæ eumdem sacravit eruditissimus vir *G. G. Leibnitz*, *Essai de Théodicée, n° 96, 97, edit. Amst. 1747, Tom. I, p. 158.* « Hujus egregii viri, autoris quippe » libri cui titulus, *Cautio criminalis, &c.* memoria, ait *Leibnitzius*, » grata adhuc debet esse eruditis,

» judicioque præditis viris. Multæ
» famæ ejus opus fuit, pluresque in
» linguas conversum. Rescivi a
» magno electore *Moguntiæ*....
» hunc rever. virum cum tempore
» rabiei in magos esset in *Franco-*
» *niâ*, horumque plures esset ad ro-
» gum usque comitatus, quos eo
» crimine immunes esse censeret,
» tantâ in eos pietate commotum
» fuisse, ut eâ etiam temporum ini-
» quitate, in quâ ejusmodi testimo-
» nium periculo non vacabat, hunc
» librum; ast anonymum ederet,
» qui profuit profectò multùm,
» mentemque sic mutavit huic....
» Electori, ut, vix autoritatem
» adeptus, ne qui ultra cremaren-
» tur interdixerit, imitatoresque
» habuerit duces *Brunopolenses*,
» maximamque principum ac ma-
» gistratuum *Germaniæ* partem. »
Liber LII Capita, seu *Dubia* con-
tinet, quæ eum in modum resolvit
autor, ut necesse sit utriusque fori

judices, qui moderato animo hæc pervolvunt, de eo planè convinci, *quod cuicumque, ſive accuſantium, ſive accuſatorum de magiâ examini ſit ſuperſedendum, donec facti major probabilitas, ac ferè certitudo, conſtiterit aliundè.* Hæc quoque magni *Æſtii* ſententia erat, de quo viro plura in operis mei tertiâ parte.

Porrò ſi hic Liber, *Leibnitzio* teſte, plures Eccleſiæ reique publicæ principes ac magiſtratus, ſic illuſtravit, ut judicum inquiſitorumque ſuperſtitioni, præoccupationi, avaritiæ, ac rabiei in ſagas indomabili, frenum injicientes, rogos penè extinxerint omnes; id profectò non fecit, quod omnem negaret, magicam artem, ſed quod contra religionis, autoritatis & experientiæ cujuſcumque viros, eamdem ſic exiſtentem affirmaret, *ut citra temeritatem, ac præpoſteri judicii notam*, ut ait, *negari non poſſet.*

Quapropter in Ecclesiæ ac reipublicæ emolumentum optandum foret, ut ipsum hunc *Spei* librum reges omnes, ac magistratus universæ *Europæ*, in suam singuli linguam verti, & singulis tribunalibus in normam agendi, quam ultra citraque pergere nefas traderent. Cessarent brevì digni nostri autoris exclamationes, quòd *sub sole* cum Salomone *vidisset in loco judicii impietatem.*

At verò si tam præclarum sit *Spei* opus, inquiet quis, cur aliud nunc publico obtruditur? Inanis omninò videtur ac superfluus esse labor. Haud ita putaverim. Jam ferè sesquialtero sæculo *Spei* ossa tegit humus, memoriaque viri, quæ in tribunalibus debuisset æterna esse, ita periit, ut per acta criminalia, ipsi longè posteriora, utrum vel ipse, vel ejusdem libellus unquam lucem viderint aliæ regiones dubitarent. Suppressa qui-

dem ſuperſtitio judicum, non deleta; damnata illorum avaritia, non eradicata fuit. Supremâ poteſtate ad hæc iterùm obdormiſcente, vitia hæc repullularunt, *Speanoſque* ſuffocarunt labores. Planè invitus hoc demonſtro. Sæculum fortè elapſum erat, quod laudadatus *Moguntinus* Elector *Joan. Phil. de Schoenborn*, tunc verò adhuc *Hyperbolenſis* epiſcopus, omni ſagarum examini *Hyperboli* ſuperſedere juſſiſſet, ac magicos interdixiſſet proceſſus; quandò anno 1749, die 21 menſis Junii, *Maria Renata*, ſeptuagenaria, veſtalis *Unterzellenſis*, ut ſaga, *Hyperboli* combuſta eſt. Quid porrò indè? Repullulanti malo, funditùs æternùmque eradicando credi ceptum eſt in *Italiâ*, & ſenſim alibi, nihil potentius fore, quàm omnis magiæ negationem; utpote quâ concessâ, omnis maleficorum accuſatio, omnis eorumdem combuſ-

tio, spontè fatiscerent. Hic nunc est rerum status: tota de magiâ quæstio ex eo consideranda est. Quantâcumque laude *Speanum* opus ornavi, quantumcumque emolumentum ex eodem merito expecto, non ex æquo nunc & abusus magiæ tollet, & eamdem docebit existentem; id quod conjungi oportere utrumque superiùs ostendi ab illis, quibus magiam refringere animus est.

Dico itaque quam hîc oppugno opinionem, præterquam quòd citra injuriam erga Deum, sanctissimamque nostram religionem, defendi posse vix videatur, planè nihil probare, cùm nimium probet. Nimis in confesso apud eruditos, haud sanè paucos, est hanc diabolicam artem existere: indubitatis experimentis cùm docti, tùm indocti, idem per omnia sæcula agnoverunt: ipsique judices, quorum furorem taxavimus, ad ejus-

modi extrema nunquam pervenissent, nisi aliquandò veros maleficos indubiis deprehendissent argumentis. Neque enim inter *Sprengeri*, *Institoris*, *Delrii*, aliorumque deliramenta, fidem ac veritatem nonnullarum historiarum inficias facilè ibis. His ergo si omnem magiam injuriâ neges, mox extravagari, & quod graviter in uno fallaris neque ullam in cæteris fidem mereri certò videbere: sic ut quò magiam pertinaciùs negaveris, eò sis eosdem redditurus obstinatiores. Veritatem enim persuadere conaris, negando veritatem; quosque de veritate rei convincere studes, his ipsius originationem negas. Qualisnam hic persuadendi modus? Quæ spes unquam convincendi? Simplex veritas est, nec se defendi unquam erubescit, nec mutilata defendi amat. Verùm itaque fac homines intelligant: ex vero clarè perspecto qui obfuscarint

contaminarintque illud, quot falſa, incerta atque indecora illi commiſcuerint, quot victimas innocentes furori ſuo mactarint, quis eumdem corrigendi evitandique ſit modus, fac intelligant, & convincantur.

Hic demùm meus erit magiam tractandi modus, ad quem nonnulla experientia me duxit. Erat mihi, unà cum *ill. L. B. Van-Swieten*, ab aug. noſtrâ Imperatrice ac Reginâ datum in mandatis ut tres fœminas rogo, quod ſagæ haberentur, damnatas, ejuſque juſſu ex *Croatiâ* in meum Noſocomium ductas, an veræ ſagæ eſſent, nec ne examinaremus. Nos ambo de magiâ exiſtente convicti, has fœminas hoc crimine immunes eſſe judicavimus; eaſdem proindè ut innocentes, & munificentiæ regiæ ſuæ participes, ſuis ædibus familiiſque Auguſta reſtituit. Aptos profectò nos ad hoc examen non mu-

tilata, ſed integra veritas reddidit, & ut ejuſmodi millenas abſolveremus, aptavit. Fatendum interìm eſt intricatum ſæpè negotium eſſe, gravemque, ac nonnunquam multiplicem eſſe quæſtionem, quæ haud a ſupremâ duntaxat poteſtate, ſed & a rever. eccleſiaſticis, atque privatis hominibus, medico proponatur; ita ut haud omninò mediocrem oporteat eum in hâc materie operam locare. Hâc de causâ eamdem ab incunabulis repetii, & veritatem rerum integram per omnia ſequutus, ad poſtremam hanc ætatem perduxi; a *Rever. Patre Spee* in eo diſſimilis, quod ille iis ſcribens temporibus quibus pauci exiſtebant qui magiam negarent, eamdem non probavit, ſed ut demonſtratam præſuppoſuit: ego verò in eam incidens temporum conditionem, in quâ opinio negans cùm vulgatior ſit, tùm expurgandis tribunalibus ineptior, ſic ma-

giam propono, ut primum quid veri in eâ ſit, tàm apertè ac fusè, quàm fortè fecerit quiſquam exponam; & deindè ex hoc capite ritè probato, omnem ſuperſtitionem, quamcumque temerariam ſuſpicionem, omnem in putatitios magos ſagaſque immanitatem ac furorem, averruncem; ſic tamen ut ſi rariore caſu alicubi ejuſmodi execranda impietas committeretur, ea contra divinarum, eccleſiaſticarum, ac politicarum legum intentionem impunitate minimè gauderet, quâ gaviſura foret, ſi opinio negans prædominaretur.



ORDO OPERIS.

EXORDIUM.

PARS I.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. III.

PARS II.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

PARS III.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.



DE



DE MAGIA.

PARS I.

PROŒMIUM.

Magiæ ſpecies, ac ſingulæ ſpeciei definitio. Motæ de eâdem exiſtente vel non exiſtente lites. Operis diviſio.

TRES quæſtiones ſunt, quæ & ad *Theologiam* potiſſimùm, & pro parte ad *Juriſprudentiam* propiùs ſpectare, quàm ad *Medicinam*, videntur; quibus nihilominùs intermiſceri etiam Medicos haud perraró oportet. Ac prima quidem hominum a dæmone obſeſſorum eſt: hanc, quâ Medicus, ſolvere conatus ſum *Rat. Med. Part. XV*, *Cap. IV*. Altera magiam ſpectat; quæ hoc opere pertractatur. Tertia novorum miraculorum examinat veritatem: de hâc tertiâ fortè poſteà,

ſi Deus dignetur conſervare vitam vireſque.

Magia, Goëtia, Theurgia, diverſa nomina ſunt, diverſam aliquandò, ſæpè eamdem habentia ſignificationem. Videatur hîc contrà *Porphyrium Platonicum* S. Pater *Auguſtinus*, *Lib. X de Civ. Dei*, *Cap. IX*, de *Moyſis* miraculis loquens: « Hæc, inquit, & alia multa hu- » juſce modi, fiebant ad commendandum » unius Dei veri cultum, & multorum » falſorumque prohibendum. Fiebant au- » tem ſimplici fide, atque fiduciâ pieta- » tis, non incantationibus & carminibus, » nefariæ curioſitatis arte compoſitis, » quam vel *magiam*, vel deteſtabiliore » nomine *goëtiam*, vel honorabiliore no- » mine *theurgiam*, vocant: qui quaſi co- » nantur iſta diſcernere, & illicitis arti- » bus deditos *alios damnabiles*, quos & » maleficos vulgus appellat (hos enim ad » *goëtiam* pertinere dicunt,) *alios autem* » *laudabiles* videri volunt, quibus *theur-* » *giam* deputant; cùm ſint utrique ritibus » fallacibus dæmonum obſtricti, ſub no- » minibus angelorum. »

In Edit. Op. Aug. Venetâ anni 1764, adjecta hæc nota eſt: « *Goëtia* genus ma- » giæ eſt, quæ fit per excitationem mor- » tuorum, ſic dicta a planctu circa ſepul-

» cra. *Theurgia* verò, quaſi *divina opera-*
» *tio*, appellatur ea quâ dii, ſeu dæmo-
» nes, certis ſacrificiis & ceremoniis, Pa-
» ganorum opinione bonis, invocantur. »

Ne autem nominum & horum, & alio-rum, continuâ repetitione ſermonem tœdioſum reddam, confuſumque lectorem, *Magorum*, *Divinatorum*, *Pythonum*, *Augurum*, *Sagarum*, *Strigum*, & quæ plura id genus ſint, nomine eos appellabo, qui quodam, quod aiunt, ſive implicito, ſive explicito pacto, cum Angelo prævaricatore inito, res nonnullas, Deo permittente, perpetrant quæ vires excedunt humanas, ſeu in emolumentum mortalium, ſeu in eorumdem detrimentum: qualia narrantur eſſe morbos hominibus pecudibuſque aut inferre, aut auferre; quid reſcire a mortuis; excitare, moderari, auferre ventos, tonitrua, fulgura, grandines, pluvias; annunciare futura; per aëra nunc imaginariè, nunc verè vehi a diabolo; impedire conſummationem matrimonii; indicare res perditas; infanda cum dæmone exercere, & quæ plura talia.

Undè primùm quæritur an deteſtanda ejuſmodi ars, hoc definita modo, *verè* extet?

Veros magos dari, eo quo explicui

ſenſu, affirmant plurimi, multi autem negant: quod autem in hoc mirabile, utrique, & qui affirment, & qui negent, iiſdem argumentis, eodem fonte ſcaturientibus probari, atque ipſo ſole clariùs evinci, ſuam ſinguli ſententiam ſtatuunt. Utriuſque Teſtamenti pagina, ſcilicet divina & apoſtolica traditio, & Eccleſiæ univerſæ ſive in conciliis adunatæ, ſive per ſuas apoſtolicas traditiones inſtructæ, ſive ſua per orbem univerſum unitâ patrum, doctorum, ac theologorum voce loquentis, ſententia; hiſtoria omnium ſæculorum, ipſum demùm cùm judicum teſtimonium, tùm accuſatorum ſive confeſſio, ſive negatio, fundamenta argumentandi utriſque præbent.

Deſperandum profectò hîc foret, niſi & in theologicis, in phyſicis, & in medicis, viſum jam pluries eſſet, ut eorum, qui iiſdem armis inſtructi manus conſererent, alter alterum vinceret, ac juſtam de hoſte victoriam reportaret. Igitur quid Scriptura ſacra, quid traditio, quid hiſtoria profana, experientiaque docuerit eos qui affirment, primâ parte ſollicitè inquiram. In parte alterâ quid cuncta hæc ſacra, profanaque adminicula eis qui veram magiam negent, perſuaſerint. In tertiâ denique, auditâ parte utrâque, ju-

dicium discretis sapientibusque lectoribus relinquam.

PRIMÆ PARTIS

CAP. I.

Argumenta illorum qui magiam, nunc descriptam, verè existentem contendunt; ac primò quidem ea quæ ex utroque Codice sacro petuntur.

§. I. In referendo eo quod ex sanctæ Scripturæ *vulgatâ editione* affertur, operæ pretium erit textûs origines consulere, ne qua aut offensio, aut negligentiæ accusatio sit. Magiam enim & Catholici negârunt, & Acatholici: *vulgatæ* priores acquiescunt, posteriores minimè. Hinc usui venit nunc mihi, in quod juvenis haud mediocrem operam locavi, linguarum orientalium studium, quodque proindè diu inter cæteras lucubrationes semisepultum, ad incudem revocavi.

Primus locus sanctæ Scripturæ invenitur *Libr. Exodi Cap. VII & VIII.* Cùm *Aaronis* virga in colubrem mutata esset: *vocavit autem Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi, per incantationes ægyptiacas, & arcana quædam, similia.* Cùm *Moyses* & *Aaron* aquam in

ſanguinem mutâſſent, *feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis.* Cùm iidem ſancti viri ranas produxiſſent, *fecerunt autem & malefici per incantationes ſuas ſimiliter, eduxeruntque ranas ſuper terram Ægypti.* Cùm tandem *Moyſes* & *Aaron* ſciniphes produxiſſent, *feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, ut educerent ſciniphes, & non potuerunt. . . . Et dixerunt malefici ad Pharaonem : digitus Dei eſt hîc.*

Nomina hæc tria in textu hebraïco חַרְטֻמִּים & מְכַשְּׁפִים, חֲכָמִים incantatores, magos, genethliacos, præſtigiatores, promiſcuè ſignificant. Quod autem hîc legitur *feceruntque ſimiliter*, ſcriptores qui magiam negant, cenſent ſic intelligendum eſſe, quòd magi non idem per omnia, ut *Moyſes* & *Aaron* fecerint, ſed quid, quod utcumque videretur ſimile eſſe : textus hebraïcus ubique tamen habet : וַיַּעֲשׂוּ כֵן *& fecerunt ſic, ut Moyſes & Aaron.* Apparet ergo magos, Deo permittente, auxilio diaboli, & ſerpentes, ſeu dracones, & ranas, non creatas a diabolo, ſed ejus ope raptìm collectas, exhibuiſſe *Pharaoni*, ut indurarent cor ejus : aquas verò *recenter effoſſas*, & necdùm rubras, (fluvius enim Nilus, ejuſ-

que rivi, nec non omnia ſtagna, *Moyſis* & *Aaronis* operâ jam rubuerunt penitùs, & putruerunt,) rubro quoque colore infectas putridaſque, *Pharaonis Ægyptiorum*que adſtantium oculis, ac naribus, apposuiſſe: quæ autumamus eo modo & rubra & putrida ne a ſummo quidem præſtigiatore, phyſices ac chemiæ etiam ſummè gnaro, unico momento, perque regnum univerſum, præſtari poſſe.

Quod ſi quem ſuſpicio hîc tenet ac ſi, ad magorum firmiſſimam aſſertionem, & *Pharao* rex, & *Ægyptiaci* aulici, proceresque, ſe ſerpentes, ſe ranas, ſe aquas colore rubras, atque odore putridas, vehementi vi imaginationis videre credidiſſent, qualem vim imaginationis *Paracelſus* olim, & ſuo ſæculo *Baco Verulamius*, & hoc ſæculo *Andreus* ſtatuerunt, de quâ poſteà latiùs; negamus hujus poſſibilitatem. Et quidem primò ſtatuimus: ut vis firmiſſimæ hujuſmodi, indebiliſque imaginationis, aliquem inter mortales occupet, oportere eumdem hominem nervis tenerrimum eſſe, nec per omnium ſæculorum exempla tantæ imaginationis vim non niſi in paucis eorum, quos hypochondriacos, hyſtericaſque medicina vocat, animadverſam eſſe. Adeòque rogamus quâ autoritate, quâve ratione verè

physicâ, statuere audeant, quod & rarò, & in perpaucis duntaxat, per tot sæcula observatum est, id universam gentem cùm hypochondriacam, tùm ab hypochondriâ remotissimam, tantoperè invasisse, ut inter tót hominum milliones ne unicus quibus extaret, qui regem, qui regni proceres, populique duces, de fuco monuisset? Secundò. Si *Ægyptios*, a puero ad senem usque, vis adeò enormis imaginationis excæcasset, ut serpentes, ranasque quæ non aderant, adesse crederent; utque aquam colore odoreque carentem, & rubram, & putrem vocarent; cur non continuavit hæc imaginationis vis, a magis in cæteros propagata, ut æquè sciniphes jam se videre, quemadmodùm olim ranas serpentesque sibi fortiter imaginarentur, præsertìm cùm magi nunc idem quod priùs molirentur, tentarentque sciniphes producere? Tertiò. Si rariore casu atrabiliarii hominis phantasia eòusque læsa est, ut, quod minimè adest, juret adesse, idemque velit singulis persuadere; ejus profectò mens nullis aliis idæis, hanc delentibus, aut per longum tempus, aut per omnem vitam, occupari consuevit: incredibilis imaginationis vi serpentes se videre universa *Ægyptus* rata, mox oblita serpentum, non nisi aquas rubras putref-

que videt, olfacitque; brevìque poſt, ac ſi nunquam, aut ſerpentum, aut mutatæ aquæ idæam concepiſſet, nunc nihil niſi ranas contuetur. An unquam ὑποχονδριακοτάτων idæa ejuſmodi obſirmata, brevi tempore in aliam, æquè fortem, convertatur, noviſſe illos opportuiſſet, qui mœſti laborum recordantur, quos ad mutandam hypochondriacorum phantaſiam læſam fruſtraneos quondàm admoverunt. Nec dicant debiliorem idæam fortiore pelli, adeòque idæam ſerpentum deletam ab eâ aquarum; hanc iterùm a ſuperveniente idæâ ranarum: nam, fatentibus ipſis, prima ſerpentum idæa non potuit, niſi invincibilis eſſe: ergo, quod de alterâ tertiâque fabulantur, ſuis ipſorum principiis adverſatur.

Si verò ſint qui putent magos neque produxiſſe aut ſerpentes, aut mutatas aquas, aut ranas veras, neque eaſdem imaginationi *Pharaonis* Ægyptiorumque repræſentâſſe; ſed potiùs eorum oculos ſic faſcinâſſe, ac ſi reverà talia viderent; his dico *primò* ejuſmodi explicationem verbo divino adverſari, quod dicit, repetitque, magos non phantaſtico apparatu, ſed ipsâ ſuâ naturâ verè exiſtentia animalia produxiſſe: quid enim clariùs exprimere textus poſſet? *Eduxe-*

runtque ranas super terram Ægypti. Qui magiam negantes hiſtorias ſimiles referunt in ſuis ſcriptis, eâ utuntur prudentiâ, ut addant *hoc vel illud contingere viſum eſſe, magos hæc vel illa ignaræ plebi, vel phantaſtico homini, falsò perſuaſiſſe.* Verbum Dei ſimpliciùs enarrat magos hæc feciſſe, magos feciſſe quæ *Moyſes* cum fratre feciſſet, *magos eduxiſſe ranas ſuper terram Ægypti.* Reſpondeo *ſecundò* quemadmodùm qui, ut ſcopulum evadant, in alterum impingentes nihil lucrati fuerunt, ita quoque qui ne fateantur magos ſimilia produxiſſe, præferunt ſic ejuſmodi poteſtatem diaboli, in phantaſiam omnium vaſti hujus regni incolarum, ut poſtmodùm, urgentibus aliis argumentis, hanc poteſtatem totam negent : undè eorum inconſtantia nihil hîc probat, ut in parte alterâ conſtabit.

Concludimus itaque ex hoc textu, Dei juſtiſſimo judicio permiſſum angelis prævaricatoribus fuiſſe, ut ipſorum operâ magi quædam efficerent, quæ ſuperarent vires humanas; haud verò ultra *tertiam Ægypti* plagam : ad *quartam* enim, & ſequentes ſex, viſum Deo fuit hanc ipſis negare poteſtatem.

§. II. Cenſemus magiam veram deſignari *Deuteronomii* Libri Cap. XIII. *Si*

ſurrexerit, inquit Deus, *in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, ut ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis: non audies verba prophetæ illius, aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palàm fiat utrum diligatis eum.* Prophetes quippe ille, vel ſomniator, Dei operatione & revelatione, futura vaticinabatur, eaque vera, quibus Deus populi ſui erga ſe fidem probare volebat. Sed de hâc difficili quæſtione, quomodò magi futura, quæ Deo ſoli nota, verè vaticinari queant, latiùs poſteà.

§. III. Legitur *Deuteronomii* Cap. XVIII, v. 9: *Quandò ingreſſus fueris terram quam Dominus Deus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inveniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec divinos, nec quærat à mortuis veritatem. . . . Gentes iſtæ, quarum poſſidebitis terram, augures & divinos audiunt.*

In hebræo eſt: *Nec inveniatur in te*

transire faciens filium suum, & filiam suam in igne, divinans divinationes. Divinationes, קְסָמִים vel in bonam sumuntur, vel in malam partem. In bonam *Ezech. XXI, v. 21*, & *Prov. XVI, v. 10*, significantes *sagacitatem*, & veluti *ab oraculo sapientiam*: in malam verò, & Deo abominabilem, ut hîc. *LXX Interpretes* habent quoque μαντευομένος μαντεῖαν, *divinans divinationem*, idque diversimodè: est enim ἀξινομαντεία, divinatio per securim, aut asciam: ἀστρομαντεία, quæ est ex astrorum contemplatione futurorum prædictio: βελομαντία, seu ῥαβδομαντία, quam *Scapula* ex *B. Hyeron. in Cap. 21 Ezech.* exponit id divinationis genus esse, ubi mittuntur sagittæ in pharetram, & commiscentur inscriptæ nominibus singulorum, ut videatur cujus sagitta exeat, & quæ priùs civitas debeat expugnari. Νεκρομαντεῖον, vel νεκρομαντεία, vaticinatio ex evocatis mortuis; responsum quod inferorum umbræ evocatæ de futuris reddunt. Οἰωνομαντεία, vaticinium ex auspiciis, seu ex avibus. Πυρομαντεία, ignispicium. Στερνόμαντις, ex cujus pectore dæmon responsa dat. Ψυχομαντεῖον, locus ubi animæ sacrificiis evocatæ responsa dabant consulentibus. Hæc semel explicanda erant, ne conti-

nuò in ſequentibus ea repeteremus. Quod autem *divinans divinationes* in noſtro textu pravis fuerit abominandiſque artificiis uſus, arguit data mortis a Deo ſententia. Redeamus ad textum hebraïcum.

Præſtigiator מְעוֹנֵן *Buxtorſius* in hoc nomen exponit ejus ſignificationem, ut hominis qui mirâ dexteritate oculos ſpectantium eludit : verùm ſecundùm *Aben-Eſra*, & *Rabbi Salomonem*, explicat magis in malam partem, ut qui ex nubibus, tempeſtate & aſtris prophetam agit, & quidem pravâ, vel arte, vel intentione, cùm occidere ejuſmodi *præſtigiatorem* Deus jubeat.

LXX habent : Κληδονιζόμενος, ominatus. Codex *Alexandrinus* : καὶ κληδον ζόμενος, & ominatus. *Scapulæ* augur eſt, *Schrevelio* ariolus. LXX autem Interpretes vocem מְעוֹנֵן in malam partem accepêre : nec mirùm, cùm mortis pœnam illi indixerit Deus. Ut profectò mirer hanc vocem ab iis qui negant magiam, in bonam partem accipi pro pantomimo, ſive geſticulatore.

Et Augur וּמְנַחֵשׁ accipitur in malam partem pro *augurari pravo artificio*, ut hîc, quia morte punitur. Accipitur & in bonam partem pro inſpiratione propheta-

rum *Libr. Num. Cap. XXIV. Balaam*, qui bis perrexerat in occursum Dei, ut ab eo, quid vaticinaturus esset, peteret, quum vidisset, *quod placeret Domino ut benediceret Israëli; nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret.* Hîc vox eadem adhibetur in plurali נְחָשִׁים. LXX autem εἰς ἀπάντησιν τοῖς οἰωνοῖς, in occursum auguris. Quæ vox hîc non strictâ significatione, veluti captum per aves augurium, sed ut οἰωνή, commune omnis augurii & divinationis nomen, sumitur. Sic ut eadem vox in singulo textu sit, sive a bono, sive a malo spiritu, quis fuerit inspiratus; & ut Dei spiritus in prophetarum inspiratu voce eâdem utatur, quâ solet inspirationes non a se, adeòque a spiritu immundo, hominibus factas, exprimere.

Balaam, famosus in *Moabitide* regione vel magus, vel propheta Dei, (de hoc enim multa est eruditorum dissensio) quem Deus hâc occasione suo vaticinari spiritu voluit, vilis ac vendibilis animi homo, quem ob id *Israëlitæ*, regni *Moabitidis* potiti, occiderunt; hic, inquam, dùm in suo a Deo sibi inspirato vaticinio in hæc verba erumperet: *Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israël*, eadem verba adhibet de auguriis & divinationi-

bus magicis, quibus anteà divinas insigniverat inspirationes. נַחַשׁ & קֶסֶם *Græcus textus* pariter οἰωνισμὸς & μαντεῖα. Sunt ergo eadem sacræ Scripturæ verba, quibus exprimitur modus, quo hominibus, aut revelentur secreta, aut superantes humanam naturam vires suppeditentur a Spiritu Sancto: & quo abdita pandendi, ac naturam superantia patrandi potestas impiis hominibus datur, non a Spiritu Sancto, sed diabolico; quandò, quamdiù, ac quantùm, ipsis permittit Deus.

Et maleficus וּמְכַשֵּׁף. Significat כִּשֵּׁף in *Pihel præstigiis usus sum.* Dicitur de iis, qui mutant & transformant res naturales ad adspectum oculi. Sic *Aben-Esra* in *Exodi VII.* LXX φαρμακος. Is est qui vel medicamenta, vel venena parat; posteriore sensu accipiendus hoc loco videtur. Idem ille, qui in textu hebraïco *præstigiator* dictus est, & in Vulgatâ *incantator.* Undè videntur magorum nonnulli venena cognovisse, quibus homines incantarent.

Nec incantator; hoc mox vidimus. *Nec qui pythones consulat, nec divinos.* Hebr. וְחֹבֵר חָבֶר. Significat חָבַר & societatem conjunctionemque, & incantationem, vel adjurando factam. Non capio cur

linguæ hebraïcæ peritiſſimus *Arias Montanus* hunc textûs locum reddat *jungens junctionem*, ut & in *Pſalmo LVIII*, *v. 6.* Vix enim ſignificationem habere videtur : maximè dùm idem ipſe *Iſaïæ XXXVIII*, *v. 9*, hanc vocem ipſam per *incantatores*, alterâ ſcilicet ejus ſignificatione, interpretatus ſit. *Buxtorf.* & quos excitat Rabbini cum eo, reddunt *incantans incantationes.* LXX Ἐπαείδων ἐπαειδὴν, . . *Incantans incantationem.* Ab ᾄδω, vel potiùs ab ἀείδω cano ; & cum præpoſitione ἐπὶ, *cantum laudabilem quemcumque* cano, vel & *cantum pravum*, ſeu *incantationem*, undè ἐπῳδὸς *incantator.* Jam de *pythonibus.*

Nec qui pythones conſulat. Hebr. וְשֹׁאֵל אוֹב *conſulens, vel interrogans pythonem.* אוֹב *pythonem* ſignificat, ait *Buxtorfius*, » qui reſponſa dando diabolicis artibus » homines a Deo avocat. *Levit. XX* ſig- » nificat & *utrem.* Hinc *pythonis* ſignifi- » catio juxta *Aben-Eſram* quod ex tumido » ventre, quaſi utre, oracula depromeret, undè & ἐγγαστρίμυθος *ventrilo-* » *quus* dictus fuit. » Sed plura de hoc, ubi de *pythonibus Saülis* & *Pauli* ſermo erit.

Nec ariolos. Hebr. וְיִדְּעֹנִי futurorum

divinator a verbo יָדַע *scivit*, *agnovit*, *percepit*, undè *sciolus* dictus, vel qui sat benè aliquid novit. *Buxtorf.* « Apud veteres legitur : Iiddioni est, qui ponit os » animantis יַדוּעַ in os suum, & os illud » posteà ex se loquitur . . . species divi» nationis prohibitæ Lev. XX. v. 21. » LXX habent τερατοσκόπος. Τέρας signum plerumque portentosum, & licèt sæpè naturali sensu sumatur, multoties tamen de insolitis monstris & prodigiis dicitur. Itaque τερατοσκόπος homo est, qui ex rebus prodigiosis futura concludit.

Nec quærat a mortuis veritatem. Hebr. וְדֹרֵשׁ אֶל־הַמֵּתִים *Et sciscitatus à mortuis.* LXX habent : ἐπερωτῶν τοὺς νεκροὺς. *Suscitans*, *percunctans mortuos* : quo sensu referunt textum *Libri I. Regum*, sive *Samuelis Cap. XXX. v. 8.* Καὶ ἐπηρώτησε Δαυὶδ διὰ τοῦ Κυρίου, λέγων. Εἰ καταδιώξω ὀπίσω γεδδοὺρ τούτου; *Et sciscitatus est David a Domino, dicens : An persequar raptores istos?* Undè hoc quoque in sensu, notante *Scapulâ*, ἐπερωταω Θεοὺς. pro *percunctari Deos* sumitur. Ergo *Chananæi* secundùm *hebraïcum* textum percunctabantur a mortuis ; secundùm *Septuaginta* percunctabantur mortuos ; & secundùm

Vulgatam percunctabantur vel quærebant a mortuis veritatem.

Morem detestandum hunc Israëliticæ genti, tempore primi sui regis haud infrequentem fuisse *ex Lib. I. Regum* manifestum sit; ut posteà latiùs patebit.

Nec tempore regum posteriorum immunes hoc crimine fuisse videntur Judæi. *Isaïæ Cap. VIII. v. 19. Et cùm dixerint ad vos : Quærite a pythonibus, & a divinis, qui strident in incantationibus : numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis ?* Et ferè sic in *hebræo* est. LXX verò videntur utrumque hunc elucidare. *Nonne gens requirit a Deo suo ? Quid ergo pro vivis requiret a mortuis ?*

Perpetuavitque sese hic nefandus mos per varios populos, usque in Ecclesiæ tempora; itaut celeberrimus *Van-Espen, Juris Eccl. Part. III, Tit. IV, Cap. III*, hanc magiæ speciem finiente sæculo II. cœptoque tertio, invenerit communem fuisse; excitatque quoque *Tertullianum, Libro de Animâ, Cap. 57*, sic scribentem : « Publica jam littera est, quæ animas etiam » justâ ætate sopitas, etiam probâ morte » disjunctas, etiam promptâ humatione » dispunctas, evocaturum se ab inferorum incolatu pollicetur. » Sed de his ad *Samuelem* mox pluribus.

§. IV. Levit. XIX, v. 26: *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Et v. 31: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Et Cap. XX, v. 6: *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.*

In nullo horum trium, quos collegi, textûum, Deus adversùs magiam præmunit, eamdem negando existentem; sed ab eâdem & existente, & abominandâ deterruit. Alio profectò, qui magiam existentem negant, non eo quo Deus modo, absterrent ab eâ populum; nam populi simplicitatem, credulitatemque, tanquam veram idææ magicæ originem causati, eumdem falsè rident, quod confugiat ad rem quæ neque extiterit unquam, neque existere possit. Cùm igitur Deus magiam tam populari argumento non confoderit, sed populum suum ab eâdem & toties, & tam severè, dehortatus fuerit, an non diffidere debemus iis, qui alio quàm Deus modo, deterrere homines a magiâ contendunt? Sed clarius hoc patet *versu ult. Cap. XX. Libr. Levit. Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus,*

morte moriatur Hebr. *Et vir, ſive mulier, cùm fuerit in iis* אוב *pytho, vel* ידעני *divinans ſpiritus, moriendo morietur.* Græcè Καὶ ἀνὴρ, ἢ γυνὴ, ὃς ἂν γένηται αὐτῶν ἐγγαστρίμυθος, ἢ ἐπαοίδος, θανάτῳ θανατούσθωσαν ἀμφότεροι. *Vir, vel mulier, quiſcumque eorum, pytho, vel incantator ſit, morte moriantur ambo.* Sic dixerat Deus Exod. XXII. v. 18: *Maleficos non patieris vivere.* Hebr. מְכַשֵּׁפָה לֹא תְחַיֶּה. *Sagam vel præſtigiatricem non vivificabis.* LXX φαρμακοὺς οὐ περιποιήσετε, ſeu, ut Codices *Alexandrinus, Aldinus, & Complutenſes* habent, οὐ περιβιώσετε, *veneficos non ſinite vivere.* Veneficos magorum nomine intelligit ſupra patuit.

Qui magiam negant, an ſic hanc legem compoſuiſſent? Deus nullibi dicit: ſi quis falsò ſe pythonem, ſe divinatorem, ſe veneficum appellat, morte puniatur; ſed, *qui ſit* talis: in *quo fuerit* ſpiritus pythonicus, in *quo fuerit* ſpiritus divinationis. Noſtri adverſarii utique in ſuâ lege ſcripſiſſent: *qui eò aut dementiæ, aut pravitatis pervenerit, ut ſe talem venditet, qualis nuſquam, vel quis fuerit, vel eſſe poſſit.* Cùm igitur Deus in ſingulis hiſce textibus eos ſpiritum magicum verè habere aſſeveret, quo titulo illi oppo-

ſitam ferant divino ſententiam? Profectò qui magiam verè exiſtentem ſtatuunt, ſi errarent, nonne jure aſſerere, quod tamen nefas, poſſent, ſui cauſam erroris a divinâ lege petendam eſſe, qui ipſis magiam nunquam ut imaginarii quid, verùm ut rem verè exiſtentem, ſemper propoſuerit? Nonne id indè conſequeretur, quòd magiæ omnis inficiatores, in ſuis legibus magiam, ut rem imaginariam, ſtatuentes, longè prudentiores Deo eſſent? Præſertìm cùm nihil efficacius fuiſſet ad hominum animos a magiâ avertendos, quàm ſi Deus eoſdem præmonuiſſet quòd diabolica ejuſmodi ars nulla, imò impoſſibilis eſſet?

§. V. Sequitur *Pythoniſſæ Endoranæ* hiſtoria, I. Reg. Cap. XXVIII. *Et vidit Saül caſtra Philiſtiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis. Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas. Dixitque Saül ſervis ſuis; Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſervi ejus ad eum: eſt mulier pythonem habens in Endor.*

Hebr. אֵשֶׁת בַּעֲלַת־אוֹב. Quærite mulierem, dominam pythonis, pythonicam eruditam, expertam valdè. LXX Γυναῖκα

ἐγγαστρίμυθον. *Mulierem de ventre loquentem.* Videmus nomina magica promiscuè sumi, nam quæ hîc Pythonica excellens quæritur, artis magicæ præstare suprema debebat.

Mutavit igitur habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, & abiit ipse & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in Pythone, & suscita mihi quem dixero tibi. Hebraïcè & græcè, eodem modo. Jussit ergo rex magicam artem suam in actum vocaret, & cùm eum quem indicaturus esset exsuscitare de sepulchro deberet, credidit certò, quæ id præstaret, existere artem.

Et ait mulier ad eum: Ecce tu nosti quanta fecerit Saül, & quomodò eraserit magos & ariolos de terrâ: quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar? Confirmatur, quod mox notavi, pythonum, magorum, ariolorum, cæt. nomina promiscuè sumi. Hoc ipso in capite *Libr. I. Reg. sive Sam.* legitur mox ab enarratâ morte *Samuelis* prophetæ: *Et Saül abstulit magos & ariolos de terrâ* (a).

(*a*) Posset hîc fortè reddi *Sagas* seu *Pythonicas*, quia in plurali fœmineo scribitur אוֹת. Sed in secundâ declinatione inter numerosas a

Si meliores chronologicos ſequamur, *Saül* magos & ariolos biennio ante mortem, fortè conſilio *Samuelis*, deleverat de ſuo regno : perſuaſus tamen intra tam breve temporis ſpatium exterminari funditùs tenacem adeò gentem non ſic potuiſſe, quin hinc indè ſuperſtites nonnulli eſſent, aut ſaltem relaxatâ lege quoſdam rediiſſe, jubet quæri num inveniendus eorum quiſquam foret, & maximè an optima ſaga, an mulier potenter pythonica, invenienda eſſet ?

Quæri ſolet cur, quos ante biennium magos ſagaſque pepulerat *Saül*, nunc conſultaturus eoſdem advolet ? Credibile ſit *Saülem*, perſuadente idem vi divinæ legis *Samuele*, hoc feciſſe, ut Dei iram, quam per inobedientias ſuas in ſe contraxerat, non nihil placaret ; minimè verò quod ipſi magiam nullam eſſe perſuaſum eſſet : jam verò penitùs repulſum a Deo, & tamen ſuæ populique ſortis prænoſcendæ avidum, quod divino Spiritu ul-

---

generali regulâ exceptiones & hæc eſt, quâ אוד fœmineè terminetur in maſculino plurali. Hinc non mutavi. An tamen, quia non virum, ſed mulierem potenter Pythonicam quærit Rex, hic textus *Sagas* ſeu *Pythonicas* intelligit, & divinorum nomine *magos* ? Tunc pluralis fœminei hìc non eſſet exceptio.

tra non posset, immundo spiritu prænoscere cupivisse.

Persuasus, inquam, de magiæ efficaciâ ita fuit, ut ad hanc sagam magistram accedens, quemadmodùm supra jam constitit, non priùs an, quod rogaturus sit, præstare eadem posset, roget; sed ut, quod jussurus sit, præstare jubeat. Pari ratione saga doctrix mortuum exsuscitare jussa, pro excusationis ratione non prætendit mandati impossibilitatem, sed ex regis prohibitione pœnam mortis. Sic ut & rex, & saga, mortuum excitari per magiam posse crediderint.

Et juravit ei Saül in Domino, dicens: Vivit Dominus! quia non eveniet quidquam mali propter hanc rem. Dixitque mulier: Quem suscitabo tibi? Ad hoc juramentum mortis deponit formidinem, paratamque, ut quem *Saül* jusserit exsuscitet, se exhibet. Quàm certa, quàm secura de suæ artis potestate esse non debuit; cùm, eâdem in promissis fallente, iratus is, quem, quis esset, ignorabat, deferre illam, ut magam, a se magiæ convictam, ad regem debuisset? *Qui* ait: *Samuelem mihi suscita. Cùm autem mulier vidisset Samuelem, exclamavit voce magnâ.* Videmus hîc id fieri, quod *Deut. XVIII.* Deus adeò severè prohibuerat,

veritatem

veritatem quærere a mortuis : adeòque non prohibere hîc inanem hoc faciendi jactantiam, sed ipsam veritatis a mortuis exquisitionem ; ut hîc iterùm fit.

Disputatum est, utrum magi mortuos verè præsentes, an verò phantasticam duntaxat exhiberent imaginem, ei similem, quæ hominem, quibus in vitâ notus fuerat, voce, staturâ, vultuque referret ?

Sunt qui prioris opinionis dantur, qui posterioris sint. Et ipsi illi qui prioris sunt sententiæ, negare solent hoc erga *Samuelem* locum habuisse : sic ut vel dæmonis operâ umbra prophetæ tantùm exhibita fuerit, & Deus eâ occasione verba, ab hâc veluti umbrâ in aures Regis sonantia, suâ omnipotentiâ, Angelorumve ministerio produxerit ; vel si verè *Samuel* fuerit, eum jussu Dei, non magicâ vi, exsuscitatum fuisse.

Ita Libro de animâ *Tertullianus*, « sic » in illâ specie magiæ, inquit, quæ jam » quiescentes animas evellere ab inferis » creditur, & conspectui exhibere, non » alia fallaciæ vis est operatior. Planè » quia & phantasma præstatur, quia & » corpus affingitur, nec magnum illi » (diabolo) exteriores oculos circum» scribere, cui interiorem mentis aciem

» excœcare perfacile eſt. » Sic ut diaboli quidem opus *Tertullianus* in hâc hiſtoriâ agnoſcat, ſed non niſi *Samuelis* phantaſma apparuiſſe arbitretur.

S. Pater *Auguſtinus* Tom. XI, edit. *Venetæ* anteà laudatæ, quâ ſemper utar, in Libro cui titulus: *De octo Quæſtionibus Dulcitii Liber unus*, Quæſt. VI, *utrum Samuel per Pythoniſſam verè fuerit de inferno evocatus?* argumentis utrinque prolatis, integrum cuique reliquit negantem, affirmantemve ſententiam amplecti.

Porrò hoc iis licitum temporibus erat, quandò Liber *Jeſu filii Syrach. Eccleſiaſticus dictus*, necdùm ab omnibus Catholicis exiſtimabatur canonicus. Ubi verò poſt ſæculum VI, ſenſim dubium hâc de re ſublatum eſt, ac præſertìm poſtquam ab Eccleſiâ in *ſacro-ſancto Conc. Tridentino* ut canonicus pronuntiatus eſt, quin *Samuel* apparuerit ipſus, ultrà dubitare non licet. Sic enim *Eccl. Cap. XLVI, v. ult.* legitur: *Et poſt hoc dormivit* (*Samuel*) *& notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terrâ in prophetiâ delere impietatem gentis.* Idem de verbo ad verbum græcus textus, hebraicus, ſi extiterit olim, periit nobis.

Igitur verè *Samuel* fuit, qui num ſagæ

operâ, an peculiari Dei diſpoſitione apparuerit, jam ſuprà quæſitum fuit. Qui Dei diſpoſitione unicè id contigiſſe cenſent, & ſanctis indignum fore aiunt, & diabolo impoſſibile, in mundum ab eo revocari. Quin id falſum eſſe manifeſtò argui putant ex ipſo illo terrore, qui invaſit, conſpecto *Samuele*, ſagam: quo poſtremo quoque argumento id conſtare autumant plures, ipſam pythoniſſam vim nullam magiæ eſſe crediſſe. Ad hoc elucidandum textus continuandus eſt.

Quum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magnâ, & dixit ad Saül: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saül. Perterrita ſaga fuit, non quòd videret *Samuelem*, ſed quòd ex *Samuele* reſciret ignotum eòuſque ſibi virum ipſum Regem eſſe, qui fortè tantummodò, an ſaga eſſet, tentaturus veniſſet; jamque eam ipſo actu quod ſaga eſſet convictus, morte puniturus eſſet. *Exclamavit voce magnâ, & dixit ad Saül: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saül.* Confirmatur hæc expoſitio reſponſo Regis. *Dixitque ei Rex: Noli timere. Quid vidiſti?* Firmat mori timidam animam, modò quæ viderit annunciet:

Et ait mulier ad Saül: Deos vidi adſcendentes de terrâ. Hebr. אֱלֹהִים *Elohim*,

Dii; in Sing. אֱלֹהַּ *Eloha* vel *Eloah*, Deus. Verùm *Elohim*, Dii, centies in Sing. pro Deo ponitur, ut in initio Genefeos: *In principio creavit Elohim, Dii, cœlum & terram.* Sed & *Elohim* Angelos fignificat. Pfalm. VIII. *Minorasti eum paulò* minùs מֵאֱלֹהִים *ab Angelis.* Ita & *Pf. XCVIII*, & *Job. I, v. 6.* Sic ut neceffe non fit concludere Deos Deumve intellexiffe fœminam: imò neque Angelos vel Angelum; nam Exodi *XXI & XXII*, & *Pf. LXXX. Elohim* magiftratus, judicefque vocantur. Ipfaque idola *Jud. XVI. III Reg. II.* Imò Moyfes in plurali Elohim vocatur *Exod. IV.* Et vitulus aureus *Ex. XXXII*, & Arca fœderis *I Reg. IV.* Quod autem pythoniffa intellexerit voce *Elohim* unam modò perfonam, eamque neque Deum, neque Angelum, fed virum fpectabilem; primò ex eo liquet, quod legatur *vidiffe Samuelem*, & vifo eo conclufiffe illum, qui fe ignotus conveniffet, *Saülem* effe. Secundò quod rogante rege: *Qualis eft formæ?* refponderit: *Vir fenex adfcendit, & ipfe amictus eft pallio.* In græco codice Vaticani exemplaris: *Virum video erectum, adfcendentem de terrâ, qui diploïde indutus eft.*

Ex totâ igitur hiftoriâ conficitur id, ut faga viderit ab initio *Samuelem*, eumque

ſe videre confirmaverit ; ut non expaverit viſo eo, ſed per eum cognito Rege, tanquam flagrante, ut vocant, delicto, ab eodem deprehenſa ; tandem ut per Regem nunc pacata, haud ultrà, etiamſi pergeret videre *Samuelem*, quid timuerit: *Samuelem* enim à *Saüle* petitum exhibere, intentio ejus magica erat, univerſique augurii finis.

Et intellexit Saül quòd Samuel eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terram, & adoravit. Dixit autem Samuel ad Saül: Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer? Confirmatur iterùm hoc *Samuelis* ſermone eum verè exſuſcitatum fuiſſe, eum verè apparuiſſe, eumque ipſum qui loqueretur eſſe. Quemadmodùm etiam in fine ſui cum Rege colloquii : *Cras autem tu & filii tui mecum eritis.* Hebraica & vulgata ſic, uti etiam Græcus *Complutenſium* codex ; *Vaticanus* verò : *καὶ αὔριον σὺ, καὶ οἱ υἱοί σου, μετὰ σοῦ, πεσοῦνται. Et cras tu, & filii tui tecum, cadent.* In hâc ultimâ traductione nulla difficultas eſt, eſt autem in reliquis textibus, niſi ſubintelligamus : *in regione mortis mecum eritis.*

§. VI. *Philippica pythoniſſa* examinanda tandem eſt. Habetur hiſtoria Actor. Cap. XVI. *Factum eſt autem euntibus no-*

bis ad orationem, puellam quamdam habentem ſpiritum pythonem, obviare nobis, quæ quæſtum magnùm præſtabat dominis ſuis divinando. Hæc ſubſecuta Paulum & nos, clamabat dicens : Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & converſus, ſpiritui dixit : Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab eâ. Et exiit eâdem horâ. Videntes autem domini ejus quia exivit ſpes quæſtûs eorum, apprehendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum ad principes, &c. Vulgata editio & græcus textus hîc per omnia conveniunt.

Ex hâc hiſtoriâ concludimus : 1° Philippicam puellam ſpiritu pythonico præditam fuiſſe; qui ſpiritus, quemadmodùm in prioribus conſtitit abundè, & divinatorius ſpiritus eſt, & magicus, & diabolicus, futura, præſentia, præterita enuncians. 2° Diabolicum hunc ſpiritum teſtimonium veritati reddidiſſe, quemadmodùm in Evangelio pluries : id quod cùm veritati præjudicaret à ſpiritu mendaci laudari, hincque veluti diaboli, non niſi ſua laudantis, opus videri; & in Evangelio *Servatorem*, & hîc *Paulum*, ejuſmodi teſtimonium prohibuiſſe, ut ſacræ Religioni & indecorum & detrimentoſum.

3° Puellam hanc, diaboli multiſcii operâ, multa quæ laterent pandiſſe, & plura magica edidiſſe, cùm legatur multum lucri dominis ſuppeditaſſe ſuis, & cùm, expulſo ſpiritu, tanti lucri præciſam ſpem omnem eſſe dolerent, manus in *Paulum* & *Silam* conjeciſſe. Niſi enim multa vera aut pandiſſet, aut præſtaſſet, brevi actum de ejus famâ fuiſſet, *nec magnum quæſtum dominis ſuis conciliaſſet.* 4° Non agi hìc, ut quidam volunt, de eâ aptitudine, aſtutiâ, calliditate, quâ in foris ac nundinis polleant mimi, ſeu ludii, utpotè nullum habente cum Religione commercium; verùm de ſpiritu divinatorio, quo diabolus ſacram Réligionem, ut ſuum opus, proſtitueret, riſuique exponeret; de ſpiritu, quem in nomine Jeſu *Paulus* exire protinùs juberet, & quo expulſo omnis quæſtus dominorum actutùm ceſſaret.

PRIMÆ PARTIS

CAP. II.

Argumenta eorumdem ex Doctrinâ, Conſuetudine, & Legibus Eccleſiæ Patrumque Doctrinâ.

§. I. QUI magiam, ut verè diabolicam artem, propriè dictam, exiſtere credunt,

non aliud eos credere, quàm universa Scripturæ utriusque pagina pluries statuerit, totiesque repetiverit, ex *primo Capite* manifestum fit. Ubi verò hi a sacris Bibliis convertunt se ad primitivæ Ecclesiæ leges consuetudinesque, ad conciliorum antiquissimorum canones, ad sanctiones imperatorum, principumque, qui partìm ut sanctam Ecclesiam hâc in re juvarent, partìm quia magiæ crimen etiam ad publicam potestatem spectat, & salubres contrà eamdem, & severas condidêre leges; dùm tandem SS. Patrum ad hæc omnia doctrinam adjiciunt; gaudent affatìm & Ecclesiam potestatem sic ea loca sacræ Scripturæ intellexisse, ut exposita eadem *primum Caput* dedit, & autoritatem publicam tùm propriâ experientiâ, tùm veneratione Scripturæ sacræ, atque traditionis Ecclesiæ, ad easdem suas leges accommodasse.

Cui hæc singula congesta videre volupe est, adeat is celeber. virum *L. B. Van-Espen, Part. III, Tit. IV, Cap. III.* Eo enim in loco gesta ecclesiasticæ atque politicæ potestatis, a primis Ecclesiæ sæculis, usque in hæc posteriora, concinno ordine referuntur: gesta, inquam, quæ uno omnia ore magiam, ejusque partes singulas, tanquam diaboli ope perac-

tas, ac quoddam hominis cum diabolo pactum includentes, pronunciant. Describit *Espenius* noster singulas nefandæ artis species, sortilegium, aruspicium quo Mathematici, tunc sic dicti, Astrologi quoque & Genethliaci comprehenduntur, maleficium, necromantiam. Nomina hæc canonicè exposita ab autore, hîc inserere non est opus, cùm in horum singulis diabolicum agnosci commercium spontè fateatur; de quo commercio solo tota nostra existit disceptatio. Laudat hîc concilium *Ancyranum*, quod celebratum ad annum 314 videtur, cujus XXIV. Can. legitur: « Illos qui Gentilium more » divinos consulant, homines ad se vo- » cantes, ad maleficia seu detegenda, » seu solvenda, quinque annorum pœni- » tentiam agere debere, & quidem tri- » bus annis prostratos, & duobus nec- » dùm sancto sacrificio admissos. » Addiderim ad hoc concilium aliud dictum *Illiberitanum*, quod ad annum 305 refertur, cujus Canon VI sic habet: « Si quis » maleficio interficiat alterum, eò quòd » idololatriâ perficere scelus non potuit, » nec in fine impertiendam illi esse com- » munionem. »

Porrò notari præprimìs oportere videtur, hunc canonistarum principem, om-

nes Ecclesiæ principumque leges, tàm ad damnandam magiam, quàm ad magos quoscunque, sive pœnis ecclesiasticis subjiciendos, sive ad eosdem a potestate politicâ igne cremandos, referentem, nullius unquam seu legis, seu dissertationis meminisse, quibus alii & ecclesiasticorum errorem, & principum deceptionem, vel ex eo demonstrarent, quod nulla existeret dæmonis in res creatas, hominesque potestas, quodque nulla daretur ope diaboli magia, adeòque hæc non nisi præstigiatrix ars esset. Si enim id verum foret, quod in eorum dissertationibus, qui veram magiam negant, audacter scriptitatum fuit, scilicet *Ecclesiam nunquam magiam veram admisisse*; leges utique dissertationesque extarent, contrariæ prioribus: & quia consuetudine generali conciliorum particularium actus & ad ecclesias alias, & præprimis ad romanam mitti solebant; & hæc duo concilia ad alias ecclesias, ac præcipuè ad romanam, proindè missa erant; Ecclesia, *Ancyrani* saltem tempore, pace tranquillâ in Occidente gaudente; pontifex romanus, & aliæ ecclesiæ reclamassent contrà utriusque synodi de magiâ errorem, eumque mox in alio concilio correxissent. Porrò cùm nihil simile tunc contigerit,

palàm fit, quemadmodùm *Illiberitanos*, *Ancyranoſque* patres, ita univerſam eccleſiam credidiſſe. Equidem ut paſſim in aliis negotiis, ita & in hocce fatetur, imò innuit *Eſpenius*, homines quoſdam præoccupatione mentis errare, extravagarique poſſe; verùm hæc ad eccleſiæ ipſius doctrinam non pertinent: ut poſteà conſtabit latiùs.

Profectò ab ipſis prioribus eccleſiæ ſæculis, eccleſia prævaricatorum Angelorum malitiam, in homines invidiam, nocendique voluntatem, tùm & Dei, per omnia æquè ſapientis ac juſti permiſſu, poteſtatem conſtanter agnovit. Undè exorciſtas ſingulis in locis conſtituit, eoſque deindè inter *quatuor Ordines minores* diſpoſuit. Hinc dæmonum in homines poteſtatis gnara, a baptiſandis eoſdem adjurando repellit; jubetque hos renunciare diabolo, omnibuſque diaboli & operibus & pompis: id quod ab eccleſiâ, præter alias ſignificationes, etiam de magiæ renuntiatione intelligi *Daniel Sennertus*, acatholicus quidem, ſed egregius medicinæ ſcriptor, *Pract. Libr. VI*, *Part. IX*, *Cap. VIII*, optimè explicuit. « Et non » ſine causâ, inquit, de magiâ agens, » ab antiquâ Eccleſiâ inſtitutum, ut bap» tiſandi renuncient diabolo, & omni-

» bus operibus ejus. » Eruditiſſimus hic medicus hanc ipſam Eccleſiæ ceremoniam, ejuſque talem ſignificationem, impio *Paracelſo* oppoſuit, qui *Libro de occultâ philoſophiâ* medicos, in *univerſitatibus* benè edoctos medicinam oportere deindè magos ſagaſque conſulere, ab iiſdemque magiam addiſcere contendebat.

Si prætereà legamus orationes quas a remotiſſimis ſæculis univerſa per orbem Eccleſia Dei in adminiſtrando regenerationis ſacramento, in benedicendo aquæ, ſali, cæteriſque eduliis, fundere Deo ſolet; ſi attendamus ad preces, quibus ad menſam Deum rogat, ut benedicat aſſumendis; preces, inquam, quas ad prandium, cœnamque, per 17 ſæcula fundi ſolitas, intoleranda recentium hominum protervitas abrogare contendens, jam, inſalutato Deo, ſe ferarum more ſaginat: ſi denique attendamus ad morem Eccleſiæ, ſe adversùs diabolum muniendi, cujus, ſæculo ſecundo finiente, jam meminit *Tertullianus* in apologiâ, ad omnem ingreſſum & egreſſum, ad cibos potuſque, ad dormiendum & evigilandum, frontem crucis ſigno, ut ait, terendi; ſi, inquam, ad ſingula hæc animum advertimus, an non cum *Vincentio Lirinenſi*, autore ſæculi V inchoantis, *Libro contrà hæreſes*,

Cap. III dicente : « In ipsâ catholicâ Ec» clesiâ magnoperè curandum est, ut id » tentemus, quod ubique, quod semper, » quod ab omnibus creditum est ; hoc » enim verè, proprièque catholicum, » an, inquam, cum hoc autore, quod vera magia extet catholicam Ecclesiam statuere, fateri non cogimur ?

Sed ultrà pergendum est. Per ipsos SS. Patres luculenter confirmari hanc consuetudinem, sententiamque Ecclesiæ, certò certiùs est. Juvat hîc aliquorum meminisse, ac præcipuè *S. Augustini*, quem summi pontifices, quem concilia, universæ Ecclesiæ catholicæ & testem, & vocem appellârunt.

Libr. de Civ. Dei X, Cap. XVI : « Quibus igitur Angelis, inquit, de beatâ & » sempiternâ vitâ credendum esse cense» mus ? utrum illis, qui se religionis riti» bus coli volunt, sibi sacra, & sacrifi» cia flagitantes a mortalibus exhiberi, an » iis, qui hunc omnem cultum uni Deo » creatori omnium, deberi dicunt ? » Qui hîc nequaquam magicum pravorum Angelorum cultum, sed solam, in quâ hi adorabantur, idololatriam intelligentes, magiam negant, ostendunt se minimè attendisse ad S. Patris distinctionem, quam hoc ipso capite inter & cultum Dei, &

falsorum Deorum, & pravorum Angelorum fecit.

Qui negant aliquam, sive expressæ conditionis, sive pacti, cum dæmone mentionem prioribus Ecclesiæ sæculis factam esse, audiant *Augustinum hoc ipso Libro Cap. IX*, dicentem : « Quamquam » *Porphyrius* admoneat utendum alicujus » dæmonis amicitiâ ... cavendum tamen » dæmonum societatem expressâ quodammodò confessione. »

Libr. VIII, Cap. XIX, de Civ. Dei : « Omnia miracula magorum quos rectè » adversarius censet esset damnandos, » doctrinis fiunt & operibus dæmonum. »

Libr. XXI. de Civ. Dei, Cap. VI, cui titulus : *Quod non omnia miracula naturalia sint, sed pleraque humano ingenio modificata, pleraque autem dæmonum arte composita ;* agens de iis quæ pro miraculis habentur, quia non ea ingenium humanum comprehendit, & tamen naturalia sunt ; deque his, quæ tàm apud Ethnicos, quàm apud Christianos vera miracula fuerunt ; « addimus, ait, ad istam » lucem (in Veneris templo) inextinguibilem & humanarum & magicarum, id » est per homines dæmoniacarum artium, » & ipsorum per se ipsos dæmonum multa » miracula : quæ si negare voluerimus,

» eidem ipſi, cui credimus, ſacrarum lit-
» terarum adverſabimur veritati. »

Memorabile autem eſt, quomodò magiæ omnis originem explicat eodem in loco *Auguſtinus*. « Illiciuntur autem dæ-
» mones ad inhabitandum per creaturas,
» quas non ipſi, ſed Deus condidit, de-
» lectabilibus pro ſuâ diverſitate diver-
» ſis, non ut animalia, cibis, ſed ut ſpi-
» ritus ſignis, quæ cujuſque delectationi
» congruunt, per varia genera lapidum,
» herbarum, lignorum, animalium, car-
» minum, ritûum. Ut autem illiciantur ab
» hominibus, priùs eos ipſi aſtutiſſimâ cal-
» liditate ſeducunt, vel inſpirando eorum
» cordibus virus occultum, vel etiam fal-
» laciis amicitiis apparendo, eorumque
» paucos ſuos diſcipulos faciunt, pluri-
» morumque doctores. Neque enim po-
» tuit, niſi primùm ipſis docentibus, diſci
» quid quiſque illorum appetat, quid ex-
» horreat, quo invitetur nomine, quo
» cogatur. Undè magicæ artes, earumque
» artifices extiterunt. »

Serm. XC. n° V. pag. 490. edit. Ven. *Auguſtinus* quid *veſtis nuptialis* ſit exponens, non ſitam hanc eſſe docet in ſacramentorum uſu, cùm hiſce & mali abutantur; nec in jejunio, quo & ſe mali macerent; neque etiam in miraculis;

« Hæc enim non ſoli boni faciunt & » mali; ſed aliquandò non faciunt boni. » Ecce in vetere populo magi *Pharaonis* » miracula faciebant, *Iſraëlitæ* non facie» bant: in *Iſraëlitis* ſolus *Moyſes* & *Aaron* » faciebant, cæteri non faciebant, ſed » videbant, timebant, credebant. Num» quid meliores magi Pharaonis, mira» cula facientes, quàm populus Iſraël, » qui miracula facere non valebat, & ad » Deum tamen populus pertinebat? »

De Trin. Libr. III. pag. 63, Tom. XI.

« Eſt unus creator Deus, ex cujus ineſ» fabili potentatu fit etiam, ut quod poſ» ſent hi Angeli ſi permitterentur, ideò » non poſſit, quia non permittuntur. Ne» que enim occurrit alia ratio cur non » potuerint facere minutiſſimas muſcas, » qui ranas ſerpenteſque fecerunt, niſi » quia major erat dominatio prohibentis » Dei per Spiritum ſanctum: quod etiam » ipſi magi confeſſi ſunt dicentes: *Digi» tus Dei eſt hoc.* Quid autem poſſint per » naturam, nec poſſint per prohibitio» nem, & quid per ipſius naturæ ſuæ con» ditionem facere non ſinantur, homini » explorare difficile eſt, imò verò impoſ» ſibile, niſi per illud donum Dei, quod » Apoſtolus commemorat dicens: *Aliis » dijudicatio ſpirituum.* »

Et ibidem pag. 61. Poſtquam de veris miraculis, manu Dei peractis, multa diſſeruerat, tandem ſic pergit : « Hîc video » quid infirmæ cogitationi poſſit occur- » rere : cur ſcilicet iſta miracula etiam » magicis artibus fiant ? Nam & magi » *Pharaonis* ſimiliter fecerunt & alia ſimi- » lia. Sed illud ampliùs eſt admirandum, » quomodò magorum illa potentia, quæ » ſerpentes facere potuit, ubi ad muſcas » minutiſſimas ventum eſt, omninò defe- » cit ? Scyniphes enim muſculæ ſunt bre- » viſſimæ, quâ tertiâ plagâ ſuperbus po- » pulus Ægyptiorum cædebatur. Ibi certè » deficientes magi, dixerunt : *Digitus Dei* » *eſt hoc.* Undè intelligi datur, ne ipſos » quidem tranſgreſſores Angelos, & aë- » reas poteſtates, in imam iſtam caligi- » nem, tanquam in ſui generis carcerem, » ab illius ſublimis æthereæ puritatis ha- » bitatione detruſas, per quas magicæ ar- » tes poſſunt, quidquid poſſunt, valere » aliquid, niſi datâ deſuper poteſtate. »

Oſtensâ deindè ratione ob quam id permittit Deus, pergit : « Nec ideò putan- » dum eſt iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad » nutum inſervire hanc viſibilium rerum » materiem, ſed Deo potiùs, a quo hæc » poteſtas datur, quantùm in ſublimi & » ſpiritali ſede incommutabilis judicat.... »

» Nec sanè *creatores* illi mali Angeli di-
» cendi sunt, quia per illos magi, resis-
» tentes famulo Dei, ranas & serpentes
» fecerunt; non enim ipsi eas creave-
» runt. . . . . Sicut ergo nec parentes crea-
» tores hominum, nec agricolas creatores
» frugum, quamvis eorum extrinsecùs
» adhibitis moribus ista creanda Dei vir-
» tus interiùs operetur; ita non solùm
» malos, sed nec bonos Angelos, fas est
» putare creatores, si pro subtilitate sui
» sensûs, & corporis, semina rerum ista-
» rum, nobis occultiora noverunt, & ea
» per congruas temperationes elemento-
» rum latenter spargunt, atque ita gignen-
» darum rerum, & accelerandorum incre-
» mentorum præbent occasiones. Sed nec
» boni hæc, nisi quantùm Deus jubet;
» nec mali hoc injustè faciunt, nisi quan-
» tùm justè ipse permittit. Nam iniqui
» malitia voluntatem suam habet injus-
» tam, potestatem autem non nisi justè
» accepit, sive ad pœnam suam, sive ad
» aliorum, vel pœnam malorum, vel
» laudem bonorum. »

Et Tom. II, Ep. 137, ad Volusianum.
« Nos legimus magos Ægyptiorum artium
» istarum (magicarum) peritissimos, a
» Moysi famulo Dei fuisse superatos;
» cùm illi quædam mira nefandis artibus

» agerent, ille Deo ſimpliciter invocato,
» machinamenta eorum cúncta ſubverte-
» ret. »

Libr. III, de Doctrinâ Chriſt. p. 47, 48, de cognitione naturæ animalium, lignorum, herbarum, lapidum B. Pater agens; « De quo genere ſuperiùs egimus, inquit,
» eamque cognitionem valere ad ænig-
» mata ſcripturarum ſolvenda docuimus:
» non ut pro quibuſdam ſignis adhibean-
» tur, tanquam ad remedia, vel machina-
» menta ſuperſtitionis alicujus: nam &
» illud genus jam diſtinctum ab hoc li-
» cito & libero ſeparavimus. Aliud eſt
» enim dicere: tritam iſtam herbam ſi
» biberis, venter non dolebit; &
» aliud eſt dicere: iſtam herbam collo
» ſi ſuſpenderis, venter non dolebit. Ibi
» enim probatur contemperatio ſalubris,
» hîc ſignificatio ſuperſtitioſa damnatur.
» Quanquam ubi præcantationes, & in-
» vocationes, & caracteres non ſunt,
» plerumque dubium eſt utrum res quæ
» alligatur, aut quoquo modo adjungi-
» tur ſanando corpori, vi naturæ valeat;
» quod liberè adhibendum eſt: an *ſig-*
» *nificativâ quâdam obligatione* prove-
» niat; quod tantò prudentiùs oportet
» cavere Chriſtianum, quantò efficaciùs
» prodeſſe videbitur. Sed ubi latet quâ

» causâ quid valeat, quo animo quisque
» utatur intereſt duntaxat, in ſanandis
» vel temperandis corporibus, ſive in me-
» dicinâ, ſive in agriculturâ. »

Ex *Tertulliano* jam ſuprà locum citavi, quo patuit eum ejuſdem mentis circa magiam fuiſſe. Et antè *Tertullianum* medio ſæculo ſecundo *S. Juſtinus* martyr in primâ ſuâ apologiâ pro Chriſtianis ad *Antonium Pium*, conqueritur, quod Gentiles ſolos Chriſtianos perſequerentur, intereà dùm homines pravos & diabolicos, aut tolerarent, aut afficerent honoribus, ut v. g. *Simonem Samaritanum*, qui tempore imperatoris *Claudii* multas *operationes magicas*, *dæmonum quibus obſidebatur ope*, *perfecerat*, divino honore Romæ cultus erat.

B. *Hieronymus in vitâ S. Hilarionis Eremitæ*, *edit. Antverp. Plantin. 1579*, *Tom. II*, *pag. 108*. « De *Gazenſis* Em-
» porii oppido, inquit, virginem Dei
» vicinus juvenis deperibat: qui cùm fre-
» quenter tactu, jocis, nutibus, ſibilis,
» & cæteris hujuſmodi, quæ ſolent mo-
» rituræ virginitatis eſſe principia, nihil
» profeciſſet, perrexit *Memphim*, ut con-
» feſſo vulnere ſuo, magicis artibus redi-
» ret armatus ad virginem. Igitur poſt
» annum doctus ab *Æſculapii* vatibus,

» non remediantis animas, ſed perden-
» tis, venit præſumptum animo ſtuprum
» geſtiens, & ſubter limen domûs puellæ
» tormenta quædam verborum, & por-
» tentoſas figuras, ſculptas in æris *Cyprii*
» lamina, defodit. Illicò inſanire virgo,
» & amicto capitis abjecto, rotare cri-
» nem, ſtridere dentibus, inclamare no-
» men adoleſcentis; magnitudine quippe
» amoris ſe in fugam verterat. Perducta
» ergo a parentibus ad monaſterium, ſe-
» ni (Hilarioni) traditur. Ululante ſta-
» tim & confitente dæmone: vim ſuſti-
» nui, invitus abductus ſum: quàm benè
» *Memphis* ſomniis homines deludebam!
» O cruces! ô tormenta quæ patior!
» Exire me cogis, & ligatus ſubter limen
» teneor: non exeo, niſi me adoleſcens
» qui tenet, dimiſerit.... Noluit autem
» ſanctus, anteà quàm purgaret virginem,
» vel adoleſcentem, ſigna jubere perquirri:
» ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe
» dæmon videretur, aut ipſe ſermoni
» ejus accommodaſſe fidem; aſſerens fal-
» laces eſſe dæmones, & ad ſimulandum
» eſſe callidos. »

Conſtabit igitur cuique, niſi me animus fallat, ſæculo æræ Chriſtianæ II, III, IV & V, magiam & ut artem, & ut artem diabolo præceptore edoctam,

ejuſque auxilio cultam, Eccleſiæ viſam fuiſſe: Eccleſiam credidiſſe angelorum prævaricatorum poteſtatem quamdam, Deo & juſtè, & miſericorditer id permittente, in ſublunaria corpora hominesque, manſiſſe: ſic ut non modò eâdem homines tententur, verùm etiam labantur ſæpè, haud in communia peccata duntaxat, verùm etiam in familiare quoddam cum his ſpiritibus immundis commercium.

PRIMÆ PARTIS
Cap. III.

Magiam verè exiſtentem confirmare videntur medicorum inclytorum experientia, virorum ſapientum obſervatio, accurratiſſimorum hiſtoriographorum intemerata fides.

§. I. Historiæ magiæ perhibentur plurimæ, quarum vel nollem vades eſſe, vel maniſeſtiſſima falſitas eſt. Veritatis cultus & amor, raræ in mortalibus aves; nec mirum, cùm *Pſalmo 115* mendax dicatur homo omnis. Ita ut, quemadmodùm in materiâ quâcumque aliâ, ita quoque in magicâ, fides hiſtorica multâ hiſtoriarum emendatione indigeat. Eâ de

causâ eas omnes miſſas faciam, quas *Plinus ſecundus*, quas *Valerius Maximus*, aliique ethnici ſcriptores tradiderunt, nec non ferè omnes ſequentium ſæculorum, quæ vel ab unico teſte non ſpectatæ prorsùs fidei, vel ex aliorum enarratione, traditioneque conſignatæ litteris fuêre.

Ac primùm quidem ea *Simonis magi* nota eſt, quem præter ea quæ ſacra ſcriptura notat, etiam primi Eccleſiæ patres, ut paulò ante ex *S. Juſtino martyre* conſtitit, ope dæmonis multas magicas artes exercuiſſe, ſtatuerunt: optandum fuiſſet, ut qui totam hujus magi hiſtoriam fabuloſam ſcribunt, priùs conſuluiſſent *Tillemontium*, qui *memoriarum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſuæ Tom. I, Part. II, in vitâ S. Petri, Cap. 34*, ejuſdem hiſtoriæ veritatem, innumeris adductis tùm patrum, tùm hiſtoricorum teſtimoniis, doctè ac eruditè confirmat, aſſeritque nullo nixos ſolido fundamento nonnullos de eâ re dubitare. Vid. quid de *Simone Fleury*, *Libr. I & II*, habet, ut *Parte II, Cap. II, Object. IX*, oſtendam.

II. Inter veteris Eccleſiæ hiſtorias ea *Apollonii Thyanæi* præprimis notanda eſt, qui primo Eccleſiæ ſæculo, vel ſub finem *Tiberii*, vel initio imperii *Caligulæ*,

innotescere cepit, mirabilis per omnia philosophi, quem propter doctrinam, & mira gesta, ethnici apostolis, imò & Jesu Christo parem, hostemque opponere ausi sunt. Nihil hîc ex fabulosâ ejusdem historiâ referam, quam ex *Damidis*, fidelis *Apollonii* discipuli fragmentis, *Philostratus* 120 postmodùm annis adornavit; verùm ea modò quæ historicorum accuratissimus, & prudentissimus *Fleury* de eo tradidit.

Contigit primò *Ephesi*, ut in mediâ ad populum concione aves proximæ sylvæ advolarent, unaque præcipuè convocarent cæteras. « Nihil est, inquit, casu » modò contigit, ut juvenis per talem » in urbe plateam transeuns, partem effu» derit, quod gestabat, frumenti. Avis una » indè saginata reliquas convocat. » Convolantes illuc auditorum nonnulli, sparsum in plateâ frumentum reperiunt.

2° *Smyrnâ Ephesum* ad pestem auferendam vocatus, ad *Herculis* fanum jubet senem mendicum lapidibus obrui, ut hostem deorum; sic ut demùm sub lapidum acervo sepultus senex esset. Acervum amovere jussit, ut viderent quodnam animal occidissent; invenerunt non senem, sed canem; pestis autem actutùm cessavit.

3° In ejus oratione ad *Athenienſes* ridet affatim juvenis auditor. Obſeſſum eum dæmone dixit orator. Imò mox obſeſſi ſigna juvenis dat. *Apollonius* exire dæmonem de juvene jubet, eâ conditione ut in ſignum exitûs proximam ſtatuam ſubvertat. Exiens dæmon ſtatuam ſubvertit, juveniſque benè habet. Ad quod prodigium *Fleury* ſic commentatur: « Si cum dæmonibus *Apollonius* commercium habuit, cujus ipſum etiam » ethnici accuſarunt, illos cum eo colluſiſſe facilè credimus, ſicque hominem » obſediſſe & reliquiſſe, quo ipſi fama » creſceret, eoque modo miracula Chriſtianorum, qui quotidiè dæmonia ejiciebant, obſcurarentur. »

Obiter notare hîc debeo, præſtantiſſimo noſtro hiſtoriographo veram magiam difficulter admiſſam fuiſſe, ut latiùs *Cap. II* patebit. Eeamdemque ob cauſam eum primum & alterum *Apollonii* portentum conjecturâ quâpiam ad cauſas naturales referre conatum; tertium verò diaboli cum eo commercio adſcribere tandem coactum fuiſſe. Non video autem, ſi in unico ejus facto de ejus cum diabolo commercio convincamur, cur in cæteris horum ſimillimis factis nobis, ad naturales cauſas detegendas, vim tantam faciamus.

4° Ad *Corinthi* iſthmum « hæc terræ, » inquit, prominentia abſcindetur, vel » potiùs non abſcindetur. » *Nero* poſtmodùm incepit quidem opus, ſed proſecutus non eſt.

5° Sponſa conſularis mortua aperto lecto defertur ad ſepulchrum, ſponſo ſequente lacrymis perfuſo. *Apollonius* accedens jubet ſiſti mortuam, daturum ſe finem lacrymis ſpondet. Rogat nomen puellæ, tangit, & quædam verba muſſitat. Ad hæc veluti evigilat illa, loquitur, repetitque lares paternos. Refert *Fleury* fuiſſe qui dubitarent verène mortua eſſet ſponſa, halitu de vultu percepto: credidiſſe alios ex leipopſychiâ, vel ſyncope, frigore roris ſeu nebulæ cadentis, eam reſuſcitatam fuiſſe. Verùm an, percepto inter deferendum vapore de facie avolante puellæ, non declaraſſent, qui hoc advertiſſent, viventem illam? An non mox pompam ſtitiſſent funeralem, antequam accederet philoſophus? Sed repetam hanc hiſtoriam *Parte II*, *Cap. II.*

6° *Apollonius* ex *Aſiâ Romam* venit purgaturus ſe a congeſtis in ſe accuſationibus coram *Domitiano*. In carcerem cum *Damide* diſcipulo conjectus, illi dixit nihil ultra ſe toleraturum mali: morti traditum non iri. Petente *Damide* quando-

nam liberaretur? A meo judice, ait, hoc ipſo die; a me ipſo, hoc momento: protinùſque ipſi pedes oſtendit catenis ſolutos. Jam haud ultra magum credidit præceptorem, ſed divum eſſe, *Damis*; cùm citra ſacrificium, citra preces, citrave verbum ullum, hoc prodigium contigiſſet. Ad hæc verò *Fleury*: « Ac ſi dæ» mones non poſſent citra hunc appara» tum agere: ſed ſic ſaltem credebatur.» Eodem die in carcerem commodiorem miſſus eſt; eodem die coram imperatore ſe ſe defendit, & ſic quidem ut ab eo abſolveretur, eâ lege ut maneret ad privatum cum illo colloquium. Interìm diſparuit ex auditorio, *Domitiano* vehementer ob id commoto. Adjungit hiſtoria antequam coram imperatore admitteretur, quæſitum per omnes veſtes ejus fuiſſe, an non alicubi quædam aut chartulæ, aut alii characteres laterent?

7° *Apollonius*, qui ante meridiem ex auditorio Romæ evanuerat, circa veſperam *Puteolis* fuit, quæ urbs propè quinquaginta leucis *Româ* diſtat. Hoc *Fleury* citra diaboli auxilium fatetur impoſſibile videri.

8° Quando anno 96 *Domitianus* interficiebatur, *Apollonius* orationem *Epheſi* ad populum faciens, idque, quod no-

tandum, inter 11 & 12 ante meridianam horam, veluti in perorando perturbatus, mox *percute Tyrannum*, vociferebatur: post aliquod silentium, *macte amici*, *ait*, *hodiè Tyrannus occisus est; sed quid dico hodiè? per Minervam! hoc ipso momento occisus est.* Quid indicare vellet, *Ephesi* intellexêre quidem, impossibiliorem autem rem, quam ut illi, tam immenso itinere *Româ* remoto, fidem adhiberent. Hoc videns, *neque miror*, inquit, *vos fidem non adhibere facto, quod tota urbs Roma nondùm scit: sed jam*, aiebat paulò post, *internecionis fama urbem implevit.* Nuncii deindè in Asiam venerunt, totamque historiam narrarunt sic, ut ad *Apollonii* assertiones omnes exactè conveniret. Anno sequenti summo senio mortuus est *Apollonius Thyanæus*, statuis illi a morte erectis, divino honore cultis.

§. II. Haud minùs certa historia *Albicerii*, civis *Carthaginensis* est, quam ex *B. Aug. I° Libro contra Academicos*, *Cap. VI*, tradam. Disputatio de sapientiæ definitione cùm *Augustinum*, *Alypium*, *Licentium*, atque *Trygetium*, totos occuparet; dixissetque *Augustinus*: *sapientiam esse rerum humanarum divinarumque scientiam*; « hic *Licentius*, pergit » *Augustinus*, quem post istam definitio-

» nem diù putabam quæsiturum esse quod
» diceret, subjecit statim: cur ergo,
» quæso, sapientem non vocamus flagi-
» tiosissimum illum hominem, quem ipsi
» benè novimus per innumera scorta so-
» lere dissolvi: *Albicerium* dico illum,
» qui apud *Carthaginem* multos annos
» consulentibus mira quædam & certa
» respondit? Innumerabilia commemo-
» rare possem, nisi & apud eos loquerer
» qui experti sunt, & paucis nunc satis
» sit, ad id quod volo. Nonne cochlea-
» rium (mihi autem dicebat) cùm domi
» non inveniretur, tuo jussu percuncta-
» tus, non solùm quid quæreretur, ve-
» rùm etiam nominatìm cujus res esset,
» & ubi lateret, citissimè verissimèque
» respondit? Item me præsente, (omitto
» illud quod in eo quod rogabatur, nihil
» omninò falsus est,) sed cùm puer, qui
» nummos ferebat, certam eorum par-
» tem, cùm ad eum pergeremus, furatus
» esset, omnes sibi numerari jussit, coë-
» gitque illum ante oculos nostros quos
» abstulerat reddere, priusquàm omninò
» ipse, aut eosdem vidisset, aut quantum
» sibi allatum fuerit, audivisset ex nobis.

» Quid quod doctissimum & clarissi-
» mum virum *Flaccianum* mirari solitum
» esse abs te accepimus, qui cùm de fundo

» emendo esset locutus, ad illum divi-
» num rem ita detulit, ut quid egisset,
» si potis esset, ediceret. Atque ille sta-
» tìm non modò negotii genus, sed etiam,
» in quo ille vehementer clamabat admi-
» rans, ipsum fundi nomen pronunciavit,
» cùm ita esset absurdum, (hoc nomen)
» ut vix ejus *Flaccianus* ipse meminisset.

» Jam illud sine stupore animi non
» queo dicere, quod amico nostro, disci-
» pulo tuo, sese volenti exagitare, flagi-
» tantique insolenter, ut diceret quid ipse
» secum tacitus volveret? *Virgilii* versum
» eum cogitare respondit. Cùm ille obstu-
» pefactus negare non posset, perrexit
» quærere quisnam versus esset? Nec *Al-*
» *bicerius*, qui grammatici scholam vix
» transiens vidisset aliquandò, versum
» ipsum securus & garrulus canere dubi-
» tavit. »

§. III. Ab historiâ ecclesiasticâ transeamus ad profanam; a medicis scriptoribus ducentes exordium.

1. *Alexander Benedictus*, medicus *Veronensis*, cujus priora opera æstimatissima anno 1505 edita sunt, *Libr. VII. Prax. Cap. XXV.* « Vidisse se narrat duas mu-
» lieres vicinas, uno die malis medica-
» mentis potionatas, quæ mirificis posteà
» vomitibus exagitatæ fuerunt; alteram

» acum crinalem ingentem, in modum
» hami implicatam, cum capillo mulie-
» bri plusculo, cum resegmentis unguium
» revoluto, rejecisse magnis conatibus,
» quæ sequenti die mortem obiit: alte-
» ram capillamentum muliebre, vitri frus-
» ta, cum canis caudæ pilosæ tribus frus-
» tis arefactis, ita ut benè integræ caudæ
» quantitatem, si in unum compositæ fuis-
» sent, adæquassent evomuisse. »

2. *Antonius Benivenius*, medicus celeberrimus *Florentinus*, edidit anno 1507 libellum *de abditis nonnullis ac mirandis morborum & sanationum causis*, cujus *Cap. XXVI* narrat, cùm eductionem teli hamati nullâ arte humanâ possibilem intellexisset miles, eum « advocasse ario-
» lum, qui duobus digitis plagæ superpo-
» sitis, & carminibus nescio quibus insu-
» surratis, *telum ex osse redire jubet:* quo,
» etsi absque ægri corporis noxâ, non
» tamen sine utriusque animæ dispendio,
» obtemperante, miles ille paucis post
» diebus ritè curatus convaluit. »

3. *Joannes Fernelius*, è doctioribus *Galliæ* medicis, atque archiatrorum comes, qui circa annum 1526 occepit scribere, in doctissimo suo opere *de abditis rerum causis, Libr. II, Cap. XVI, pag. 802*, demonstravit magicam artem verè existere

ex ſacrâ ſcripturâ, traditione, & propriâ ſuâ experientiâ; in eoſque, qui hanc negabant, gentilitatis de eâdem ſententiam refert, quæ niſi veriſſima conſtitiſſet, notiſſimarum Romanarum legum, ab ipſis XII tabulis inceptarum tantam non habuiſſet neceſſitatem. « Vidi, inquit, » ſcriptâ chartulâ collo ſubnexâ, univerſi » corporis icterum unâ nocte detergeri: » vidi & febres verbis, ceremoniis qua- » dantenùs profligari. » Sed uſu didicerat vir ſapiens non juvandi, ſed lædendi potiùs causâ, cacodæmonem hæc portenta ſuorum miniſtrorum edere, cùm morbi ſic curati revertere ſoleant: hincque eum ſimulare ſæpè curam ejuſmodi « cujus admiratione perverſas hominum » mentes irretiat, ſibique infidelitate ſub- » jungat; hoc unum præprimìs annitens, » ut ab his, quos ſeduxerit, divino cultu » & honore dignetur. »

Quo eodem modo *J. C. Scaliger, Exerc.* 349. « Malus dæmon iſta facit, non ut » hominem faceret potentiorem, ſed ut » ipſum deciperet credulitate, atque ſo- » cium haberet tùm impietatis, tùm æ- » terni exilii. Igitur ipſe agit dæmon; » ſtultus ille, ac vecors putat ſuis ſe ver- » bis agere. »

4. *Cornelius Gemma*, prof. *Lovanienſis*,

ſcripſit *de naturæ divinis characteriſmis Libros duos*, editos anno 1575. In *Libr. II, Cap. IV*, longè plura & mirabiliora ſurſùm deorsùmque, a juvenculâ 15 annorum, per integrum ferè annum dimiſſa eſſe, teſtis refert oculatus.

5. *Ambroſius Pareus*, quatuor regum *Galliæ* conſiliarius & archichirurgus, in operum omnium anno 1582 editorum, *Libro XXV, a Cap. XXV uſque ad XXXI*, plura habet quæ exiſtentem magiam confirment, ex aliorum quippe petita teſtimonio pleraque, ſed auctoritatem magnam legitimè probatis factis accedere arbitratur, quod tot ſapientes nationes contra hanc artem diabolicam tot leges condidiſſent; profectò minimè conditurae, ni de ejuſdem veritate convictæ fuiſſent. Hæc verò miſſa faciens, memorabo dunxat id quod *ibid. Cap. XXX* ſcribit. « Haud ita pridem præſente rege *Carolo IX*, præſentibus ſummis belli dictatoribus *Mommoranceo*, *de Retzio* & *Lanzacio*, nec non archiatro *Mazillio*, cæteriſque teſtibus, vidi ſagum multa edentem quæ vires humanas multis ſanè ſuperent paraſangis, fatentemque audivi ſe hæc diaboli perficere operâ; ab eo vehementer torqueri ſe, verùm poſt triennium ab illo liberandum fore. »

6. *Baptista Codronchius*, medicus *Imolensis*, cujus prima opera anno 1591 primam lucem viderunt, narrat *Libr. II, de morb. veneficis*, post varias historias mirandarum ac vomitu ejectarum rerum, tandem filiam suam *Franciscam* admirando adeò morbo laborasse, ut propter natam veneficii suspicionem, quæcumque in lecto essent perlustrarentur: adeòque in culcitrâ inventa esse ciceris semen, grana coriandi, frustum carbonis, ossisque humani, aliquid ignotum cuique, præterea plumas quibusdam filis tam artificiosè insertas, ut pileo, sicuti moris est, imponi facilè potuissent. Fuêre etiam eodem in lecto inventa frustula duo nucis siccæ, & ossis albi, novem vel decem ossa piscium, quæ in formam pectinis fabricata cum quibusdam corollis, ex variis rebus paratis, mirè intertextis. In ignem verò cùm hæc omnia projecta essent, mutataque domus & omnia, absque vel minimo auxilio adhibito puella convaluit.

7. *Zacutus Lusitanus*, cujus prima opera prodiêre anno 1629, *Prax. Med. mirab. Libr. III, Obs. XXXIX*, postquàm historiam virginis nobilis narrasset, quæ ubi ignobilem juvenem, se pereuntem, repulerat, tam horrendo morbo, enormique præternaturalium rerum vo-

mitu laboraret, ut incantata crederetur, ſic proſequitur : « Parentes rei novitate » & periculo filiæ commoti, conſulunt » ariolos, ſagas, ſortilegos, magos & » incantatores. Ex iis unus ſe eam ſana- » turum, propoſitâ multâ mercede, conſ- » tanter pollicetur, dicens ut adventante » paroxyſmo vocaretur. Sic factum. Nam » cùm acceſſio velociter invaleſcit, con- » vocatur ipſe; qui ſuper caput ægræ priùs » abraſum, me præſente, impoſuit pa- » pyraceam chartam albiſſimam in quâ » ſcriptæ erant binæ litteræ T M, & im- » poſita erat ungula aſini ſemicombuſta; » & ille neſcio quæ verba ad aurem ob- » murmurans, illam ab inſultu, & omni » ſymptomate, in poſterùm liberavit. »

8. Doctiſſimus medicus *Daniel Sennertus*, ab experientiâ, eruditione, fide, commendatiſſimus, quid ad hanc rem demonſtrandam præſtiterit, in ſequentibus multa dicendi opportunitas erit.

9. In *Galliâ* initio ſæculi XVII, teſtimonio *Lazari Riverii*, apud omnes in confeſſo erat conjugium ac conceptum impediri per magiam poſſe : & ſub ejuſdem ſæculi finem concludimus *Galliam* totam veros extare magos crediſſe, eò quòd rex *Lud. XIV* ſolemni edicto eoſ-

dem morte puniendos esse per universum regnum sanciverit.

§. IV. Quum de re agatur quæ, ferocissimè impugnata, nunquam satis propugnari potest, curiositas me prehendit examinandi cùm in sacris litteris magiam apud idololatras gentes familiarissimam fuisse *Cap. I* constiterit, an apud easdem hactenùs coleretur. Non igitur, ut volunt scriptores multi, an unicè perstaret cum idololatriâ; nam eamdem in populo Christiano heu nimium viguisse sat superque jam vidimus ac doluimus; sed eo fine ut an apud barbaras gentes magia, nullis legibus coërcita, nullis pœnis repulsa, frequentior ac famosior foret. Bibliothecam igitur meam percurrens, *Asiæ*, *Africæ* & *Americæ* itineratores notavi, ordineque pervolvi: *Barlæos*, aio, *Neuwhofios*, *Dapperos*, *De Bruinios*, *Schoutenios*, *Montanos*, *Kœmferos*, *Dumontios*, *Dampierios*, *Waferos*, reverendos patres *Hennepin* & *Labat*, *La Martiniere*, *Maartens*, *de Vries*, aliosque complures. Vix hîc meta dabatur. Quamvis enim singulam historiam summatìm contraherem, opus tamen meum 30 paginis voluminosius proditurum deprehendi; idque iis duntaxat notatis, quæ itineratorum

eruditiores, exactiores, prudentioresque, & hos inter adhuc ii præcipuè, qui ad hosce populos magiæ omnis inficiatores ingressi, indubiis verò, numerosisque experimentis contrarium edocti, fideliter ista, quæ a se visa essent, conscripserant.

Vix fando sum quantus me horror hæc scribentem invaserit. Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit. Pluriesque pergeremne, an desisterem, animo suspensus, perfeci tamen. Revolvens postmodùm opus, intellexi quidem convincentiora quidem magiæ existentis argumenta, necdùm fortè alibi sic collecta haberi, abundèque eadem ad omnem litem determinandam sufficere; verùm ab alterâ parte gravis me tenuit metus ne aliis, sive simplicioribus, sive malitiosioribus, hujuscemodi nefandorum enarratio detrimentosa foret. Paulatìmque menti cepere ea observari præcepta, quæ in similibus rebus S. Spiritus nobis B. Pauli calamo dedit *Rom. XIV*, *& Cor. VIII*, ne scilicet etiam illa quæ aliàs licitè tutòque facere potuissemus, tunc faceremus, quandò *fratribus nostris*, *pro quibus Christus mortuus est*, essemus offendiculo; & quidem sic, ut dicat apostolus: *Quapropter si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne*

fratem meum ſcandalizem. Itaque animo dubius editurusne hæc, an ſuppreſſurus eſſem; certus ſi demonſtrandæ veritatis neceſſitate compulſus ea ederem, mecum *Tertulliano* quem *Libr. de animâ, Cap. XIII*, de concubitu loquendi neceſſitas urgebat, fidenter monere lectores poſſe: « Ne itaque pudeat neceſſariæ demonſ- » trationis; » formidans tamen, quem facere ex iiſdem nonnulli abuſum poſ- ſent, operæ pretium duxi conſcriptum, ut erat, opus, virorum ſapientum, optimorum criticorum, ſummorumque pariter theologorum judicio ſubjicere, ab illorumque pendere oraculo: præſertìm quia hanc totam quæſtionem pertractare, citrà multum librorum theologicorum auxilium, non potueram. Porrò viri hi graviſſimi ſingula juſtâ lance librantes, in ſuppreſſionem inclinarunt. Suppreſſi itaque eoſque lectorum, quos offendere hæc minimè poſſint, ad itineratores laudatos remitto.



PARS II.

CAP. I.

De præcipuis scriptoribus qui magiam, ut verè existentem artem, negaverunt.

§. I. INGENS est clarorum virorum agmen qui magiam negent, ecclesiasticorum, juridicorum, politicorum, medicorum, philosophorum: quorum præcipuos, temporum quibus florebant ordine, recensebo.

1° *Henr. Corn. Agrippa*, natu *Coloniensis*, theologicæ, jurisprudentiæ ac medicinæ apprimè gnarus, singulam illarum publicè professus, vir per omnia singularis, regibus principibusque æquè inconstanter, quàm vehementer, aut acceptus, aut odiosus, carcerum haud paucorum incola, satyricus homo, indigus, litigiosus, vagus, professione magus, tandem post varium denique carcerem anno 1535 obiit. Brevì ante finem magiam repudiavit, ejusque vanitatem ostendit. Est autem summi momenti testimonium hominis famosi olim magi, & tandem magiæ prostituentis vanitatem.

2° *Conradus Wolfhartt*, *Lycostenes* dictus, qui usque ad annum 1561 vixit. Inter plura ejus opera extat *prodigiorum & ostentorum Chronicon*, in quo dæmoniacorum & magorum vaframenta pluribus, iisque notabilibus exemplis prostituit. Quæ inter notabile illud quod de *Margaretæ Ulmer*, civis *Eslingensis* filiæ, præstigiis tradidit. Hanc enim & medici urbis, & *Tubingæ* famâ clarus *Leonardus Fuschius*, & tandem imperatoris *Caroli V* ac Hungariæ regis *Ferdinandi* archiatri, omni sollicitudine examinantes, si quam unquam, hanc saltem artificia diaboli demonstrare, publicis actis testati sunt; dùm intereà elapso ab indè quadriennio magistratus lepidum fucum manifestum fecit.

3° *Joannes Wierus*, dictus *Piscinarius*, *Henrici Cornelii Agrippæ* famulus quondam & discipulus, *Cliviæ ac Julii* ducis archiater, scripsit Libros VI *de dæmonum præstigiis*, *de incantatoribus*, *de lamiis*; & *Librum apologeticum in pseudomachiam dæmonum*. Magistri *Agrippæ* senescentis exemplo, *sagas* mortis eripere supplicio conabatur, merâ imaginatione, nullo vero cum dæmone commercio, easdem agi ratus.

4° Cancellarius Anglici regni *Baco Ve-*

rulamius, Oper. omn. a pag. 947 ad 966 in Cent. X Hiſt. nat. ſive ſylvæ ſylvarum, in imaginationis vi, in imaginationis in alia corpora operatione, inque ejuſdem manifeſtis, efficacibuſque in alia effluviis adeò diffunditur, ut videatur, idque maximè *pag. 948 & 949*, magiam penitùs excludere, inanemque oſtendere. Editio mea *Francofurtana* eſt anni 1665.

5° *I. G. Godelmannus*, juris profeſſor *Roſtockienſis*, eodem, quo *Wierius* fundamento, eripere a mortis ſupplicio *ſagas* molitus eſt.

6° Rever. Jeſuita *Fredericus Spee*, de quo in *Præfatione*, ſagas ferè omnes innocenter deflagrari, integro Libro, teſtatus eſt, propriâ experientiâ convictus. Ad *Dubium XI* enim ſic fatur: « Si & » mihi aliquid lector concedit, fateor *me* » *ipſum nonnullas ſuperioribus annis in* » *diverſis locis ad mortem comitatum fuiſſe*; » de quarum innocentiâ tàm minimè » etiamnum vacillo, quàm nihil uſpiam » ſtudii & induſtriæ, penè nimiæ, quod » non adhibuerim ad veritatem detegendam. Stimulavit me curioſitas, quid » enim diſſimulem? & penè ultra metam » traduxit, ut in re incertâ certum aliquid cognoſcerem; neque aliud tamen, » niſi ubique innocentiam, deprehendi. »

Et ad finem *Dubii XXX* in hæc verba erupit : « Ego id cum juramento depono, » me quidem hactenùs (ut confessarium) » nullam ad rogum duxisse, de quâ, *om-* » *nibus consideratis*, prudenter statuere » potuerim esse ream. Idem ego, a duo- » bus aliis accuratis theologis audivi. Ne- » que tamen non omnem industriam ad- » hibui, quâ ad veritatem penetrarem, » ut dixi supra ad Dubium XI. »

7° *Christianus Thomasius*, director & professor jurisprudentiæ, *Hallensis*, sub finem elapsi sæculi, hujusque principio florens, per ea quæ de magiâ inter sua opera hinc indè intersperſit, in eamdem veluti imaginariam sic invectus est, ut inter ejus inficiatores meritò recenseatur.

8° *Rever. Claudius Fleury*, *Hist. Eccl. Tom. XIX. Libr. XCII.* §. 4°, postquàm enarrasset varias in papam *Joannem XXII* conspirationes, pontificisque ipsius querelas de magicis in se per annos 1317 & 1320 tentaminibus, sic prosequitur : « Physices ignorantia in causâ » erat cur plures naturæ opera supra » eamdem transcendere crederent. Cùm » autem fide constet a Deo sæpè permis- » sum dæmonibus fuisse ut homini prodi- » giis imponerent, atque extraordina- » riis nocerent modis; citra examen sup-

» posita magia ut vera ars fuit, creditæ-
» que certæ regulæ, quibus dæmonum
» ope & secreta nonnulla patescerent,
» quædam infausta in homines immitte-
» rentur: planè ac si Deus non potuisset
» semper diabolos aut sinere, aut impe-
» dire ad hæc præstanda, & ac si pacta
» cùm spiritibus malignis rata habuisset.
» Profectò si prætensam magiam attentiùs
» contemplemur, non nisi veneficia (em-
» poisonnemens) superstitionibus, impos-
» turisque sociata deprehendimus. »

9° *Rever. Pater Campanella*, Calaber, è *S. Dominici* familiâ, finiente XIV sæculo & inchoante XV florens, Libros IV *de sensu rerum & magiâ* scripsit, ostenditque omnem magiam non nisi naturæ operam esse.

10° *Reginaldus Scotus* anno 1602 *tractatum de magiâ* edidit. Vix datur autor, qui majore cùm exemplorum, tùm argumentorum numero, & vi, totam magiam profligare conatus est: putavit enim se SS. Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrum, Legumque civilium autoritate, nec non ipsis de magiâ accusatorum testimoniis & juramentis, magiam ridiculam, imò planè impossibilem orbi universo demonstrasse; solùm verò aut odium, aut avaritiam, aut ignorantiam,

prætenſam hanc artem genuiſſe : confirmari autem hoc luculenter vafrorum horum hominum confeſſionibus, qui diaboli ſimulantes concurſum, ſummâ quidem aſtutiâ & dexteritate res prorsùm mirandas, minimè autem præternaturales, effeciſſent : ejuſmodi fuiſſe pythoniſſam anni 1535, quæ *ſancta Virgo Cantiana* vulgò audiret, & *Alidam Norinton* anno 1574 in *Weſtwel*, & Joannem *Stikelbau*, anno 1572, in *Maidſton*, quos nefarios omnes fuiſſe, inſigniſque artificii impoſtores, juridicum examen demùm oſtendiſſet: eòque vehementiùs in populum *Anglicanum* invehitur, quòd non modò ante mutatam religionem, verùm poſt eamdem mutatam, licet *Henricus VIII*, & ſui regni anno quinto *Eliſabetha*, hanc ſuperſtitionem confodere ſapientiſſimis legibus anniſi eſſent, adhuc & ille, & ipſi ejus prædicatores tantâ credulitate laborarent.

11° Eruditiſſimus ac reverendus *Jacobus Meyer*, commercio litterarum cum *Eraſmo Deſpautero* aliiſque eruditis clarus, in *annalibus Flandriæ ad annum 1459*, magos non exiſtere, ſed inhumanâ criminatione fingi exemplis oſtendit. » *Atrebati*, ait, horrendum quid contigiſſe legimus. Complures fuiſſe inhu-

» maniter igne crematos, qui de nocte » occultas coitiones habuêre cum diabolo, undè magnam accepêre pecuniam viri primarii, mulieresque complures. Indiciis crematorum deprehensi, » pars capti, & sævissimis tormentis admoti, alii vi pecuniæ redempti, nonnulli solum verterunt. Quidam verò » adeò in pœnis constantes fuerunt, ut » nihil confiterentur. Fuisse referuntur » quidam ex judicibus adeò detestabiles, » ut quosdam sibi inimicos indicari curaverint, tanquam conscios, reis in » tormentis ad hoc coactis. »

12° Quæ eruditus iste ecclesiasticus ad annum 1459, hæc fusiùs descripsit *Jacobus Clericus*, toparcha in *Beauvoir*, per annos 1459, 1460, 1461, in *historiâ sui temporis*, sive *diario earum rerum quæ Atrebati & in locis finitimis contigerunt*. Accusabantur magiæ *Dionysia*, civis cujuspiam impudica uxor; vir, quem vulgò vocabant *l'Abbé de peu de sens*; illustrissima domina *Joanna d'Auvergne*, cum tribus suis pedissequis puellis; chirurgus *Huguet*, & scabinorum minister *Joannes Le Febvre*.

Ab inquisitoribus hi accusati, pluries torturæ admoti, demùm confessi sunt se easdem magicas artes exercuisse, quas

ipſis in torturâ, alias, poſt alias, inquiſitores enumerabant: monente enim magiſtro *Gillis Flamen*, juriſconſulto, ut annuerent modo ad ſingula; fore tunc ut haud ultra admoverentur ad torturam; exiguam quippe pœnam alicujus mulctæ, leviorisque religioſæ peregrinationis, quæ infligenda eſſet, præ immani totieſque repetitâ torturâ præferendam eſſe. Itaque deinceps, quæcumque proponebant inquiſitores, ſpontè, veluti ſi commiſiſſent, fatebantur. Brevì autem poſteà tanquam magi ac ſagæ damnabantur tradebanturque ſcabinis, a quibus, cum bonorum confiſcatione, rogo damnati ſunt.

Hanc verò dum pronunciari ſibi ſententiam audiebant, horrendum quot diras advocato imprecarentur, qui ſuaſerat, torturæ evitandæ gratiâ, ut, quæ ignorabant qualia eſſent, quæ nec cogitaverant, nec audiverant unquam, ideò ſpontè tantùm faterentur, quod non niſi modicâ pœnâ mulctarentur! Singuli Deum teſtabantur nunquam ejuſmodi crimina a ſe commiſſa eſſe, & quantumcumque piè ac chriſtianè mortem ſubirent, ſuam nihilominùs innocentiam, ac judicum, ſuam hæreditatem invadentium, exclamarunt vafritiem.

Capit. IX & X ejuſmodi plura enar-

rantur, additurque fuiſſe, qui decies & quinquies torturam, eamque aliquoties omnium ſæviſſimam, & quidem bis die admotam ſuſtinuiſſent: contigiſſe quoque, ut hiſce, qui negabant conſtanter, carnifex ſtricto gladio adſtaret, obvelatiſque, tanquam decollandis, luminibus, comminati inquiſitores eſſent, ni mox faterentur, caput truncatum iri.

Interìm Romæ degente *Atrebatenſi* præſule, vicarii ejus è carcere dimisêre multos, quos inter unus qui poſt torturam octavam, alius, qui poſt decimam & quintam, (in quarum ultima plantæ pedum comburendo ſic conſumptæ, ut peſſimè indè haberet,) innocentiam tuiti ſemper erant.

Tandem cauſa domini *de Beaufort* ad ſupremum Pariſienſium ſenatum delata, ſenatus ampliſſimus hic annihilavit per délegatos ſuos proceſſum integrum *prope quadraginta accuſatorum*: in perpetuam autem rei memoriam primò diem publicæ reſipiſcentiæ ſpectabili prorsùm pompâ, religioſiſſimè inſtituit; & poſtmodùm, ob urbem, ab ejuſmodi tyrannide liberatam, publicas agere feſtivitates & gaudia juſſit.

13° Anno 1601 prodiit in *Gallis*, ubi idem qui alibi, in magiam furor, oratio

advocati regii *Ludovici Servini*, in causâ fœminæ quæ de magiâ accusata, cùm in denudato corpore quædam stigmata viserentur, quæ utut a variolis, aliisque pustulis, imò a nævis maternis oriri vel relinqui solent, tamen in his, quæ de magiâ suspecti habentur, stigmata a dæmone impressa, & ignarum vulgus, & stolidi judices esse censebant, damnata ad aquæ tentamen fuit. Jamque siquidem ligatis manibus pedibusque, ter ab altitudine 7 vel 8 pedum in aquam præceps data, ad singulam vicem fluminis repeteret superficiem, (quod impossibile citra diaboli opem præoccupatæ plebi videtur,) patibulo damnata fuit : sed cùm vita torturis sic confracta esset, ut in patibulum non perduraret, post mortem tamen & suspensa fuit, & igne concremata. Senatus supremus *Parisiensis* damnavit latam atque executioni mandatam sententiam, vetuitque ne postliminio hoc per aquam tentamen, ad magiam quasi detegendam, judices adhiberent.

14° Eruditus medicus gallus *de S. André*, gallicum tractatum, epistolari formâ, edidit anno 1725 *de magiâ ac maleficis, magis, sagisque*, quo conatus est magiam subvertere omnem. Primò plurima falsa proferri censet, tam ab iis qui se magos dicant,

dicant, quam ab illis, qui magiæ incuſſent priores. Multa a magis ſagiſque proferri quæ meræ imaginationis vi tribuenda eſſe videantur: eoſdem a diabolo ſic diſponi ſuâ in phantaſiâ poſſe, ut verè hæc contigiſſe jurent, quæ in ſomno & vividiſſimo & protracto, menti obverſarentur: pleraſque demùm magicas hiſtorias quas, aut ex antiquioribus monumentis eruiſſet, aut ipſe examinaſſet præſens, aut denique a fidis percepiſſet amicis, vel omninò falſas, vel minimè præternaturales, habendas eſſe.

Itaque plura, quæ videri poterant ſupergreſſa naturæ vires, ſic ipſe explicat, ut in naturæ terminis omninò ſita eſſe ſibi viderentur. Hinc, *Paracelſi* ac *Verulamii* exemplo, multus admodùm eſt in exponendâ dilatandâque imaginationis ſtupendâ vi, inque determinatâ vafrorum hominum nocendi voluntate: nec parcior in explicandis ſpiritibus eſt, qui malevolorum de corpore in propinquos, ſive homines, ſive res, quo noceant iiſdem, exhalent: tandem modicus non eſt in exponendâ virtute ſpiritûum, poſt irritationem exhalantium de hominum rerumve corporibus illis quibus nocuerant malefici in ipſa maleficorum corpora retrogradorum; idque, ſi credere fas eſt, ad

D

multorum, imò centenorum milliarum diſtantiam.

Exſpatiatur dein egregius *Andreus* per hiſtorias acicularum, cultrorum, gladiorumque fragmenti majoris minoriſve; globorum ferreorum, inſectorum, laciniorum veſtium, pilorum, &c, quæ vomitu, alvo, abſceſſu vario, de corpore humano, eoque illæſo, ejecta perhibentur. Hic eruditus vir totam bibliothecam medicam percurrens, exempla cunctorum ſæculorum profert, quibus evidens fit ejuſmodi res variis humani corporis è partibus expulſas fuiſſe, abſque vel minimâ ſive ægrorum, ſive medicorum de magiâ ſuſpicione, imò cum eorumdem corporum excretionis naturalis perſuaſione.

Quin ipſum hoc omninò naturale autor eſſe cenſet, quod magi ſagæve, quandò ex pratis illa veneficia, quæ ad pecus necandum, frugeſve corrumpendas, occultaverant in iiſdem, auferunt, ſæpè moriantur. Vulgus quidem credit hos a maligno ſpiritu, quod ſuum opus deſtruant, necari; nihil autem plus eſſe ſecundùm naturam cenſet *Andreus*, quàm ut ſubfoſſis in rebus fermentatio ſuboriatur, cujus ſubitò exploſi vapores eos, qui effodiunt, afficiunt atque præfocant. Ex quibus omnibus concludit nihil indignius vero phi-

losopho ac physico esse, quàm cum imperito vulgo opinari res enarratas & naturæ transgredi potestatem, & angeli prævaricatoris opus esse.

15° Vir illustris *Scipio Maffeus*, contrà egregium *Tartorottum*, anno 1748 *de nocturno Lamiarum congressu* scribentem, epistolam *Veronæ* edidit anno 1749, *Artis magicæ dissolutæ* titulo; in quâ singulari sententiâ veram quidem ante Christum natum magiam extitisse fatetur, eamdem verò post Christum natum ita exulasse, ut quidquid de illâ in diebus novi Testamenti perhibetur, meræ fabulæ sint.

16° Prodierunt anno 1770 duo Tomi in-quarto, aucti autem & emendati anno 1771, viri eruditissimi *Constantini Francisci de Cauz*, in academiâ Roberetanâ *Quirini*, titulo hoc: *De Cultibus magicis, eorumque perpetuò ad ecclesiam & rempublicam habitu.* Censet præclarus autor se hoc sole ipso evidentius reddidisse, quod ars magica neque extet hodiè, neque extiterit unquam. Præter omnia quæ priores magiam negantes autores, quæque maximè clarus *Andreus* scripto tradiderunt, noster stupendæ eruditionis scriptor historiam dictæ sic magiæ, dictique sic cum satanâ pacti, per omnia sæcula ex utriusque sacræ Scripturæ paginâ,

ex conciliorum teſtimonio, ex SS. Patrum autoritate, ac tandem ex ſæculorum barbarorum cùm ſupremâ ignorantiâ, tùm ſtupidiſſimâ ſimplicitate, ſic ſe credit refutaſſe, ut ultrà nemo ſanæ mentis exiſtere poſſit, quin magiam, vulgi ſenſu intellectam, dari neget.

17° Prodiit haud ita pridem, ſcil. 1772, in *Galliis* opuſculum eruditum eruditi abbatis *De la Chapelle*, cui titulus: *Relatio hiſtoriarum ſtupendarum de dictis ita pythonibus, ſeu ventriloquis, quæ haud ita pridem in Galliâ obſervatæ ſunt; cum examine cauſarum phænomeni mirabilis, & cum ejuſdem ex variis tàm venerandæ antiquitatis, quàm temporum noſtrorum exemplis, confirmatione: examinata ab Acad. Reg. Scient. Pariſinâ, ac deputatorum academiæ teſtimonio confirmata.* Lectu utilis & jucundus hic tractatus genuina pythonum, ut ſaltem opinatur autor, nobis præbet aliquot exempla, quibus pythoniſmum omnem merum, ſed ſingulare naturæ opus eſſe cenſet: ut proindè funditùs ea eorum argumenta ruant, qui eumdem citra dæmonum opem exerceri non poſſe arbitrabantur; & ut deplorandus generis humani error, quo ventriloquos, magos, ſagas, ariolos, haud citra pactum implicitum expreſſumve cum diabolo

initum, artis ſuæ experimenta edere poſſe, creditum fuerat, planè diſpellatur: ſiquidem in his omnibus quidam habitus a naturâ deprehenditur, quem induſtrioſi hi homines callidè exercentes, eò demùm perveniunt, ut in operibus ſuis naturam longè ſuperare videantur.

18° Agmen claudit præclarum *Vindobonenſis* univerſitatis lumen nobiliſſimus *Paulus Joſephus a Riegger*, conſiliarius aulicus actualis, nec non juris publici eccleſiaſtici olim prof. ordinarius, in præmissâ *Parte II. Spec. Corp. Juriſprud. Eccl. Diſſertatione de magiâ*, anno 1773... Multâ eruditione, pro more ſuo, inclytus autor tractat univerſam hanc materiem, per ſingulas ejuſdem partes: ſcilicet, magiam ethnicam, judæis haud ignotam, cultam quoque chriſtianis; divinationem, ad quam & aſtrologiam refert; auguria; necromantiam; ſortilegium; ſortes ſanctorum; magiam ſtrictè dictam, ejuſque ſpecies, ut incantationem, præſtigium, vanas obſervantias, earumque ſpecies. Leges deindè tàm eccleſiaſticas quàm civiles, contrà ſingulas magiæ partes, per decurſum ſæculorum recenſet: quibus omnibus cunctas imaginariæ artis fabulas funditùs everti arbitratur. Tranſit tandem ad magiam quam ethnico-chriſ-

tianam, seu semi-christianam appellat; cujus leve quoddam principium sæculo XIII deprehendit: sæculo XIV auctiorem quidem, sed adhuc plebeiam magiam; sæculo XV autem multùm propagatam; tùm sæculo XVI autoritate stabilitam; & tandem sæculo XVII penitùs confirmatam. Totus sub finem est in refutandâ descriptæ hujus artis possibilitate, respondetque ad omnia argumenta quæ ad illam stabiliendam ex sacris Bibliis, ex SS. Patribus, ex ipsis accusatorum, seu spontaneis, seu torturâ expressis confessionibus proferri solent.

SECUDÆ PARTIS

Cap. II.

Objectiones quas recensiti Capite proximè priore autores contrà magiam fecerunt, & primò quidem ex sacrâ Scripturâ. Subjunguntur ad singulas responsa.

§. I. Eruditos viros omnes veneratus, ob idque horum neminem privatìm non nisi raró circumspectèque aggressurus, oportunius esse existimavi, ad certa quædam capita singula singulorum revocare argumenta objectionesque, & ad singula ordine respondere. Quemadmodùm au-

tem priori in capite feci, ut non modò quos adversarii nostri scriptores laudarint, recensuerim, verùm pluribus autoribus horum numerum compleverim; ita in hoc capite haud consueta tantùm eorum qui magiam negant argumenta enumerabo, & objectionibus respondebo, verùm numerum horum iis, quæ prætervideruni illi, diligenter supplebo; ne in inquirendâ veritate cuiquam, vel minimæ etiam parti defuisse videar. Ac primùm quidem discutienda argumenta sunt, quæ contra sacræ Scripturæ autoritatem formantur.

Objectio I.

Hanc autoritatem ad probandam magicam artem hi qui magiam negant, perperam adhiberi arbitrantur, censentque sacram Scripturam in allatis Parte I textibus non nisi de idololatris, de impostoribus, deque ceremoniis atque cultibus loqui, qui ad idololatriam aut inducendam, aut confirmandam propagandamque unicè spectabant.

Responsio (a).

In hisce textibus referendis *Vulgatam*

(*a*) Ordo quidem exigeret ut omnes objectiones Capite singulari recenserentur, &

editionem ubique cum fontibus *hebraico* ac *græco* conferentes, vidimus in nonnullis textibus, & idololatriæ & magiæ mentionem jungi; in aliis solius magiæ mentionem fieri, in aliis iterùm solius primùm magiæ, deindè magiæ, tàm idololatriæ junctæ, quàm in idololatriam præcipitantis. Sic, etsi mirum non foret magiam & idololatriam perpetuò in textibus junctas esse, cùm magia vera & exquisita, etiam apud Christianos, detestanda maximè idololatria erga diabolum sit; tamen magiæ & prohibitio, & punitio, pluribus sacris in textibus, laudato loco inveniendis, ab iis idololatriæ adeò discretæ enuntiantur, ut evidens sit magiam, quâ magiam, quâ per se solam existentem damnari ac puniri, adeòque ab idololatriâ propriè dictâ rem diversam esse.

Objectio II.

Magi *Pharaonis* non fecêre idem quod *Moyses* & *Aaron*, sed quid simile duntaxat: sic ut diabolus, vel imaginationem

---

Capite altero responsiones: verùm cùm aliis responsiones ibi appositissimæ locari videantur, ubi objectionis vis recens præprimis ac vivax in memoriâ est, consuere responsiones ad objectiones debui.

Ægyptiorum adeò vivam excitaverit, ut ſerpentes, ranas, rubraſque aquas reverà contuerentur; vel faſcinaverit eorum oculos, ex aëre formando corpora quæ ſerpentes, &c. referrent.

Responsio.

Ad hanc objectionem reſpondi, explicando textum *Exodi Cap. VII.* Cùm verò de imaginationis vi brevì nova ſequatur objectio, ſimul ad hanc latiùs reſpondebitur.

Objectio III.

Falſo illud וַיַּעֲשׂוּ כֵן *Exodi VII & VIII* interpretatur quis ſic, ac ſi magi idem quod *Moyſes & Aaron* fecerant, feciſſent: nam ubi ſacer textus ter hâc phraſi uſus eſt ad ſerpentes, ad ranas, ad rubras putidaſque aquas, quodammodo a magis repræſentatas, mox ubi *Moyſes & Aaron* ſciniphes, ſcinipes, pediculos, produxerant, *hebræus* textus quartâ vice eâdem phraſi quàm *Vulgata* reddit, *Et fecêre magi ſimiliter;* uſus eſt: ac pari modo *græcus textus* in ſingulis horum quatuor locorum: Ἐποίησαν δὲ ὡσαύτως οἱ Ἐπαοιδοί. Ubi nihilominùs conſtat eoſdem nihil feciſſe, & ad ſuam gignendorum

pediculorum impotentiam exclamasse quòd hîc *Dei* digitus, manus, virtusque subesset. Ergo cùm hîc nihil fecerint, ubi textus dicit : *Et fecêre similiter*, nihil quoque fecêre, nec veros serpentes ranasve produxerunt, ubi ter dictum fuerat : *Et fecerunt similiter*; sed ex aëre aliisve elementis aliquid composuêre simile, aut oculos Ægyptiorum fascinarunt, aut eorumdem commoverunt imaginationem.

Responsio.

Habet profectò phrasis ista aliquam difficultatem explicandi in hoc quarto loco, nec facilè quâcumque explicatione hæc difficultas tollitur : sive enim serpentes veros, veras ranas, veras putridas rubellasque aquas produxerunt, sive phantasticè tantùm repræsentarunt, aut oculos fascinarunt, aut imaginationem moverunt, cur sacra Scriptura ad *sciniphes*, seu pediculos a sanctis viris Dei productos, dicit magos similiter fecisse, ubi nec veros, nec fictos, imaginariosve sciniphes exhibere potuêre *Pharaoni*? Ergo in utrâque explicatione, licet in quarto loco dicatur iterùm : *Et magi fecerunt similiter*; certum semper est in tribus prioribus prodigiis aliquid magnum, seu ve-

rum, ſeu fictum illos exhibuiſſe; in quarto verò nihil omninò. Ergo ſecundùm utramque explicationem, in tribus prioribus prodigiis magi & tentarunt, & effecerunt quod tentaverant; in quarto tentarunt, nec effecêre quidquam. Sic ut hoc quarto loco intelligendum ab utrâque parte ſit, magos feciſſe ſimiliter, ut priùs, tentando; ſed non, ut priùs, efficiundo. Igitur hæc difficultas per ſe eam non infirmat quæ hujus phraſeos data fuit expoſitionem. Cæterùm particula כֵּן *idem facere, idem fieri*, in ſacris ſignificat. Vide Gen. I, v. 7, 9, 11, 15, 24, 30. Hic certè וַיְהִי־כֵן *& factum eſt ſic*, non apparentur quid ſimile, ſed id ipſum quod Deus juſſerat, creatum fuiſſe ſignificat. Reliqua ſolutio hujus difficultatis data eſt *Part. I, Cap. I, ad text. Exod. VII*, ad quam remitto lectorem.

Objectio IV.

Ex *Libri Sapientiæ Capite XVII, v. 7*, demonſtratur magorum Ægyptiorum artem merè illuſoriam fuiſſe, ac deriſoriam, illiſque contumelioſam. *Et magicæ artis appoſiti erant deriſus, & ſapientiæ gloriæ correptio cum contumeliâ.* Hebraicus fons, ſi extiterit olim, nobis periit; Græcus autem ſic habet: Μαγικῆς δὲ ἐμπαίγματα

κατέκειτο τήχνης, ϗ τῆς ἐπιφρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος. *Magicæ autem artis derisus appositi erant, & suæ de sapientiâ jactantiæ redargutio contumeliosa.*

RESPONSIO.

Non videtur ab his, qui hunc versum *Capitis XVII* objiciunt, integrum caput lectum fuisse. Loquitur *Salomon* de terrificâ trium dierum apud *Ægyptios* nocte, quam in diem convertere suâ magiâ frustrà tentabant, vel respicit ad *sciniphum* plagam, ad quam Deus haud ultrà magis, seu spiritibus immundis, permisit vera sua miracula imitari. Unde sive hic Sapiens de tertiâ plagâ sciniphum, sive de nonâ tenebrarum loquitur, ostendit Deum, qui diabolo aliquid permiserat, nunc illum cohibuisse; minimè verò magos diaboli ope effecisse unquam nihil.

OBJECTIO V.

Ad magicam artem stabiliendam perperam adhibetur Cap. XIII. *Deuteronomii, in pag. 15, Part. I, Cap. I. §. II.* Nam totum *fictum* hîc esse, quod de falso prophetâ Deus hîc dicit, Deus indicat ipse: *Propheta autem ille*, ait, *aut fictor somniorum interficietur.*

RESPONSIO.

Sic quidem in Vulgatâ habetur, minimè verò in textu *hebraïco*, aut *græco* חֹלֵם הַחֲלוֹם *Somnians ſomnia*, ut in hujus textûs principio, hâc ſolâ exceptione, quod littera ה, accuſativum deſignans, deſit, ubi Vulgata ipſa non *ſomnium fingentem*, ut hîc, ſed *ſomnium videntem*, ponit. LXX habent : Καὶ ὁ Προφήτης ἐκεῖνος, ἢ ὁ τὸ ἐνύπνιον ἐνυπνιαζόμενος, ἐκεῖνος ἀποθανεῖ. *Et propheta ille, vel ille hoc ſomnium ſomnians, ille morietur.* Conferentes ergo omnes inter ſe textus, intelligimus non finxiſſe hoc ſomnium prophetam illum, ſed hoc ſomnium, eventu comprobatum, verè ſomniaſſe.

OBJECTIO VI.

De pythonissâ *Saülis* eſt, quam ſtatuunt nihil feciſſe niſi ceremonias ineptas, præ terrore, dùm ſimulacrum *Samuelis* conſpexiſſet, exclamaſſe, adeòque ſe *Samuelem* per ſua præſtigia minimè expectaſſe faſſam eſſe : præthereà vel umbram duntaxat apparuiſſe *Samuelis*, vel ſi ipſemet fuerit, non ſagæ, ut patuit, ſed peculiari Dei diſpoſitione ſolâ eum appa-

ruisse. Sed ad hæc omnia puto in *Part. I*, *Cap. I*, §. *V*, sufficienter responsum esse.

Objectio VII.

De *Philippicâ* puellâ est, quæ *pythonica* Cap. XVI. *Act. Apost.* dicitur.

Responsio.

Ad hanc historiam *Part. I*, *Cap. I*, §. *VI*, responsum satis fuisset, nisi in scriptis quorumdam legeremus, hanc puellam non fuisse verè *pythonicam*, sed *dæmone obsessam;* ad quod respondendum paucis est: paucis, inquam, quandoquidem dæmoniacorum non est multùm lucri divinando comparare: quidquid enim hi faciunt, *Tom. XV Rat. Med. Cap. IV*, clarè, ni fallor, ostendi: *divinare* μανθεύωμει:, ut textus sacer dicit, eos qui non magi, sed duntaxat obsessi a diabolo essent, nullibi in sacris legitur. Et quid plura? Scriptura hanc puellam *pythonem spiritum* habuisse asserit: qui spiritus nullibi dæmoniacos obsidere legitur, sed verè magicus est, ut toties jam *in parte primâ* patuit. Quod si omninò dæmoniacam hanc puellam fuisse velint, tunc quoque & pythonicam unà fuisse, atque adeò a dæmone & obsessam, &

fatidicam, fateantur oportet, cùm ea præſtiterit, quæ dæmoniaci præſtare non ſoleant.

OBJECTIO VIII.

Nulla ars magica eſt, nec eſſe poteſt, ſi eam Deus irritam fecit. Atqui hoc ſe feciſſe dixit ipſe Deus Iſaïæ XLIV : *Ego ſum Dominus . . . irrita faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens ;* dùm nempe vident omnem ſuum laborem inanem eſſe. Hebr. מֵפֵר אֹתוֹת *Infringens, diſſipans ſigna*, &c. Ergo nulla omninò ejuſmodi ars exiſtit.

RESPONSIO.

Altera pars ejuſmodi verſiculi prophetæ totam hanc difficultatem ſolvit : ſic enim proſequitur Deus: *Convertens ſapientes retrorsùm, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Si nulla *magia* exiſtat, quia eam Deus irritam facit, non exiſtit eamdem ob cauſam *ſapientia.* Utraque ergo exiſtit, ſed hanc & illam Deus ſiſtit, diſſipat, ubi æterna ſua decreta exequitur, quidquid artificio ſuo *magi*, quidquid aſtutiâ prudentiâque ſuâ *ſapientes*, in contrarium moliantur. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contrà Dominum. Prov. XXI, v. 30.*

SECUNDÆ PARTIS

Cap. III.

Responsio ad objectiones contra magiam, petitas a doctrinâ, consuetudine & legibus Ecclesiæ, sanctorumque Patrum autoritate.

Objectio I.

§. I. Quemadmodum ex sacris Bibliis, sic & ex doctrinâ autoritateque ecclesiæ, sanctorum ejusdem doctorum, probare conantur multi, ac ferè omnes magiæ veræ negatores, nullam eamdem esse: Siquidem extent plurimæ ecclesiæ leges generales latæ cùm in omnem magiam, tùm & in singulas ejus species, quæ magiam negent. Occupant hæ leges magnam librorum adversariorum partem, eò quòd ex iisdem palmarium contrà existentis magiæ sententiam argumentum peti censeant.

Responsio I.

Ex perpetuâ Ecclesiæ Catholicæ ad nostra usque tempora consuetudine, ceremoniis, precibus & decretis, nos, cum canonistarum principe *Van Espen*,

dudùm coacti fuimus fateri, ab eâdem ecclesiâ magiam, ut verè diabolicam artem & creditam, & prohibitam fuisse, *Vide Part. I, Cap. II.*

Responsio II.

Ex reipublicæ legibus contra nummos adulterinos, eorumque fabros ineptè omninò conficerem, neque veram monetam, neque ejusdem existere fabricatores: è contrariò ex his legibus meritò concludo cùm propter nihil, nihil fiat, ideò veram monetam existere, quia contrà falsam, ut verè existentem, respublica & leges edidit, & pœnas indixit. Hisce porrò ad nostram quæstionem relatis, ex ecclesiæ legibus contrà falsam magiam datis, magiam veram dari potiore jure conficio, quàm ex iisdem legibus eam non existere conficiunt adversarii.

Objectio II.

Ecclesiam leges condidisse affirmant, non in verè existentem magiam, sed tantummodò in putatitiam, in ostentariam, splendorem religionis sacratissimæ obfuscantem, pietati adversam, atque dæmoniacæ in christianos potestatis assertione religioni probrosam. Cùm in hoc verse-

tur negotii omnis cardo, audienda ſuis in legibus Eccleſia eſt. Laudant concilii Toletani primi regulam contrà *Priſcillianiſtas : ſi quis aſtrologiæ vel matheſi exiſtimat eſſe credendum , anathema ſit ;* adduntque ad hanc Toletani ſynodi regulam *ſancti Leonis* papæ verba hæc : *quoniam qui ſe talibus perſuaſionibus dedit , a Chriſti corpore totus abſceſſit.*

RESPONSIO.

Anathema ſanctus ſynodus dixit his qui magiæ credunt, arti diabolicæ , arti in quâ diabolus divinis colitur honoribus : an potuit artem deteſtandam talem non condemnare , non anathema eidem credenti dicere ? An ejuſmodi homo non ideò anathemate dignus , quod, ut *B. Leo* ait, *a Chriſti corpore totus abſceſſerit ?* Acclamamus utrique ſententiæ, ſollicitè autem quærimus an magiam veram non exiſtere & ſynodus , & pontifex , pronuntiarint ? Nos è contrariò arbitramur eamdem , ut verè exiſtentem , ab utroque damnari.

OBJECTIO III.

Canon objicitur nobis 9. XXVI, q. v. *Si quis clericus , monachus , vel ſecularis , divinationem vel auguria crediderit obſer-*

vanda . . . cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pelluntur.

RESPONSIO.

Nihil justius est quàm eos de Ecclesiâ pelli, seu excommunicari, quibus pro Deo diabolus est. Sed an hoc canone demonstrare quis vult veram magiam non dari? Condonet mihi, veram magiam ab Ecclesiâ hoc canone agnitam esse credenti.

OBJECTIO IV.

Magiam nihil nisi imaginarii quid esse definivisse dicitur concilium *Agathense*, suo canone 42 qui sic se habet: *Quod maximè fidem Catholicæ Ecclesiæ infestat, aliquanti clerici, sive laïci student auguriis, & sub nomine fictæ religionis, per eas quas sortes sanctorum vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. Hoc quicumque clericus, vel laïcus, detextus fuerit vel consulere, vel docere, ab Ecclesiâ habeatur extraneus.*

RESPONSIO.

Hîc nihil video dici a synodo, quòd magiam imaginariam esse declaret, sed ab Ecclesiâ separari omnes qui vel ma-

giam colant, vel proximas illi superstitiones exerceant.

OBJECTIO V.

Ad ostendendam artis magicæ inaninitatem affertur concilii *Laodicæi* canon VI: *Si quis maleficio interficiat alterum, eò quod sine idololatriâ perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse communionem.*

RESPONSIO.

Ego prorsùm contrarium hîc a concilio affirmari intelligo: statuit enim adeò potentem artem magicam esse, ut quis diaboli auxilio, verâque erga diabolum idololatriâ occidere alium maleficio possit.

OBJECTIO VI.

Eumdem in finem canon XVI ejusdem concilii laudatur: *Qui magicis falsitatibus in grandinariis tempestatibus credunt, sciant se fidem christianam & baptismum prævaricasse, & ut paganum & apostatam, id est, retrò abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei graviter in æternum incurrisse.* Putant adversarii hîc omnem magiam penitùs confodi, cùm *magica falsitas* appelletur a concilio; adeòque hujus synodi sub finem IV sæculi celebratæ,

& totius antiquitatis veneratione honoratæ patres credidisse, id omne quod de magiæ virtute atque potentiâ imperitum vulgus credit, ridiculum ac falsum esse: quod, num sic se habeat, videamus.

RESPONSIO.

Ac *primò* quidem mentem hujus concilii hanc fuisse ideò cum *Van Espen* negamus, quod Ecclesia ab omni tempore magiam potentem artem esse crediderit.

Secundò. Ubi concilium hoc rationem dat, cur hos damnet, qui *credunt magicis falsitatibus & grandinariis tempestatibus*, si nullam existere magiam credidisset, primariam rationem, & ad movendos christianorum animos potentissimam, petitam scilicet ex magiæ ineptitudine & vanitate, omisisset; hanc rationem autem non dedit. Ergo non credidit concilium totam magiam imaginariam esse.

Tertiò. Criminis magnitudo, seu enormitas a concilio determinata, solius veræ magiæ est, non verò imprudentis credulitatis eorum qui magiam veram, quæ tota tantùm imaginaria sit, esse credant. Constat *S. Hieronymum*, *S. Augustinum*, magiam stupendam artem esse credidisse: statuuntne idcircò hi magiæ negatores sanctissimos hosce patres *fidem christianam & baptismum prævaricasse*, & *ut*

paganos, & apostatas, Deique inimicos, iram Dei graviter in æternum incurrisse? Idemne de *Espenio* innumerisque aliis affirment? Ergo magnitudo criminis apertè declarat patres hujus synodi & veram efficacemque magiam dari, & in talem se sententiam unicè ferre voluisse. Et demonstratur ejusmodi mentem ipsis fuisse ex canone XXXVI. qui de exercitio veræ magiæ agit.

Objectio VII.

Synodus *Quinisexta* seu *Trullanum* concilium, ex 211 episcopis *Constantinopoli* in loco *Trullo* dicto collectum, *eos qui nubes fugare dicuntur, & imprecatores, canoni qui est de sexennio subjicit. In his autem perseverantes, nec mutantes sententiam, nec fugientes hæc perniciosa & ethnica instituta, omninò ejiciendos ab Ecclesiâ definivit.* Qui existentem veram magiam negant, hunc canonem sibi faventissimum arbitrantur.

Et plures leges, textus, canonesque huic similes, quibus suam stabiliri sententiam putant, in nos congerunt. Novell. Leon. LXV. *Sacerdotes admonere fideles populos jussit (Ecclesia) ut noverint magicas artes, incantationesque, quibuslibet infirmitatibus nihil remedii posse conferre.* Addunt hisce *Karlomanni* leges, hæc

omnia vocari *paganias*, & *paganorum obſervationes.* Leges alias civiles, permultaſque eaſdem, in magiam credentes compellunt, magiæ negantes vires, impoſturamque declarantes. *Ferunt magos ſuis maleficiis aëra poſſe conturbare, & grandines immittere, futura prædicere, fructus & lac auferre, aliiſque dare, & innumera a talibus fieri dicuntur.* Et iterùm: *Diverſa finguntur ſolummodò portenta.* Et iterùm in aliâ lege: *Si quis a diabolo deceptus crediderit, ſecundùm morem paganorum, virum aliquem, aut fœminam ſtrigam eſſe, & homines comedere, & propter hoc ipſam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, vel ipſam comederit, capitis ſententiâ punietur.*

Inſtant hîc adverſarii, atque ex omnibus hiſce apparere aiunt legiſlatores & eccleſiaſticos, & politicos, definiviſſe magiam non eſſe, ſed *dici*; magos ſagaſque non exiſtere, ſed *videri*; magos mala non inferre, ſed *perhiberi*, *ferri*, ac ſi hæc facerent; portentaque edere dicuntur, tantummodò *fingi*: nec poſſe eos infirmitatibus ſuâ arte mederi: qui credunt ea illos poſſe, quæ affirment præſtare, capitis ſententiâ puniendos eſſe: tandem qui magos veros ſtrigaſque exiſtere credat, eum ſecundum paganorum obſervationes

atque mores hæc credere: imò totam magiam ut *Canon VI conc. Laodicæi* ait, per omnia ad paganiſmum, adeòque ad idololatriam pertinere.

Responsio.

Primò. Leges tam eccleſiaſticæ quam civiles, ut ſuprà patuit, magiam veram crediderunt, & ſic uti nos deſcripſerunt. Vide reſponſa omnia priora in *hoc II Capite.* Ergo tempora fuêre, in quibus plerique patres in variis conciliis, plerique quoque principes & legiſlatores veram magiam exiſtere crediderunt, ſicuti nos; tempora iterùm, quibus epiſcopi & principes multi, fortè propriâ experientiâ deſtituti, aliorumque relatu duntaxat inſtructi, eum ſe enunciandi modum per *videri*, *perhiberi*, *dici*, elegerint. Dico *ſecundò:* Quod & *fingi* talia ſtatuerint, minùs vel ideò miror, quod in hiſtoriâ magiæ, atque in accuſatorum reſponſis, ſæpè occurrat ejuſmodi fictio, quâ multa ſe præſtaturos vafri homines ſponderent, nec efficerent quidquam, niſi quod calliditatem naturalem minimè excederet. Hoc adeò verum, ut in pluribus magorum confeſſionibus jam *Sennertus* adverterit, aliique cum eo, diabolum ſæpè torquere ſagas & magos, ut nonnunquam in viginti operationibus

operationibus ille vix bis tenax promissi fuerit. Hinc non minùs ii qui magiam veram admittunt, quàm qui negant, fallacem hanc esse rentur artem; eòque magis, quò attentiùs consideremus malitiam dæmones exercere suam non posse, nisi quantùm, & quandò, & ubi id permittit Deus. Adeòque Deo non permittente, hominemque suis fidelibus angelis defendente, credibile admodùm est dæmonem in magicis operationibus frequenter deficere; ac proindè artem magicam fallacem appellandam esse.

Objectio VIII.

Magiæ efficacis inficiatores autoritatem multam suæ opinioni dari à sancto *Agobardo*, sub finem octavi sæculi, bonamque noni partem, archiepiscopo *Lugdunensi*, cujus hæc verba objicere nobis solent: *Tanta jam stultitia oppressit miserum mundum, ut nunc sic absurdæ res credantur a christianis, quales nunquam anteà ad credendum poterat quis suadere paganis, creatorem omnium ignorantibus.* Invehitur vehementer zelosus hic archiepiscopus in eos qui grandines, tempestatesque posse credunt excitari a magis, eosque *& falsos testes Dei, & mendaces vocat, qui admirabile & valdè terribile opus Dei, Deo*

auferant, ut homini tribuant. Et cùm omnes asseverarent hanc grandinandi potestatem magorum, nec tamen quisquam eorum id vidisset, sed aliorum duntaxat percepisset relatu, *Agobardus* voluit demùm per illos relatores ad ipsos eos cognoscendos examinandosque ascendere, a quibus, ut a testibus oculatis, se hoc percepisse affirmantibus, perciperet, nunquam verò ad eorum vel unicum, qui vidisset ipse, pervenit.

Responsio.

Dignissimus hic *Lugdunensium* præsul, cui ideò non præfigo titulum *sancti*, qui illi a claris viris, qui contrà magiam scripsêre, præfigitur, eò quòd in solâ diœcesi suâ *sanctus* habeatur, in historiâ autem ecclesiasticâ simpliciter *Agobardus* scribatur; hic, inquam, zelosus & actuosus archiepiscopus, justè quidem invectus fuit in judices, qui ad innocentiam inter duos litigantes, mutuòque se accusantes, detegendam, juberent aut mutuos in se stringere gladios, cùm *Gundebaudus* rex Burgundorum *duellum* suâ autoritate permissum declarasset; aut per ignem, qui innocentem adurere non deberet; aut per aquam, in quam quis præcipitatus mergi non deberet, si ejus quo

accuſabatur criminis reus eſſet; meritò, aio, horum omnium & vanitatem, & illicitum exercitium, in foro criminali ſtrenuè oppugnavit: nimio verò impetu magiam aggreſſus eſt. Falſam enim hanc in multis expertus, falſam dixit univerſam, imò impoſſibilem; ſic ut vel is, qui eamdem minimè exercens, imò deteſtans, exiſtentem tamen crederet, injuriam Deo faceret, paganiſque deterior eſſet.

Hæc porrò in *Agobardo* minimè miramur; in *Agobardo*, inquam, prælato præjudiciis & vehementiâ animi pleno, quo eum titulo *Hiſtoria eccleſiaſtica* recenſet, cujuſque ſpecimina adhuc ſub vitæ finem dedit, in controverſiâ de *divinâ pſalmodiâ* contra *Amalarium*. Vid. *Fleury*, *Tom. X*, *Libr. XLVII*.

Quemadmodùm verò in millenis aliis occaſionibus tantam experimur veritatis vim, ut etiam ſuî confeſſionem vel invitis extorqueat, ſic & in *Agobardo* agnoſcimus. Dum S. viri *Jobi* hiſtoriam explicat, ſic ſcribit: *Cùm diabolus, inventor mali, & caput omnium malorum, accuſator fratrum, accuſaſſet B. Job apud Dominum, expetiſſetque eum tentandum, quatenùs tentando ita verum eſſe oſtenderet, quaſi mentem viri Dei meliùs noſſet, quàm conditor ejus, Dominus juſtus ad*

confundendum diabolum, misericors ad exaltandum fidelem famulum suum, concessit illi potestatem, primùm quidem in rebus omnibus, deindè verò in filiis, post etiam in salute corporis, ac deinceps in suasione conjugis, postremò autem in exprobratione & nefariâ despectione famulorum. Sic diabolus victus & confusus recessit, servus Domini victor & triumphans excrevit.

Et in alio loco, refutaturus eos qui objiciebant verba *Davidis*, Ps. LXXVII, *Immissiones per angelos malos: sciendum est*, inquit, *quòd vindictarum aut probationum flagella per ministros malos exerceat Deus, qui voluntatem quidem nocendi de se habeant, potestatem autem ab illo excipiant, in quantum ille vult.*

Quid jam fortius, quid crebrius, clamarunt illi qui fatentur veram magiam exiftere, quàm quòd diabolus nullam habeat in homines elementaque poteftatem, nisi quandò, quantùmque illi permittit Creator? quòdque, eo permittente, diabolus vim habuerit excitandi *Sabæos*, ut *Jobi* furarentur boves & asinos? gignendi de cœlo ignem, qui & oves, & earumdem combureret custodes? convocandi tres *Chaldæorum* turmas, ut *Jobi* camelos raperent, custodesque trucidarent? exci-

tandi atque determinandi quatuor ab angulis ventos, ad perdendam unà cum domo omnem Jobi familiam? & tandem, (quod benè attendendum,) in singulo infortunio, ubi æquè homines occidebantur, quàm aut rapiebantur bestiæ aut occidebantur, unicum hominem semper servandi, qui nuncius deferret calamitatem ad sanctum virum, ut ad desperationem eum, Deique maledictionem duceret? Et rectè hoc *Agobardus*, & nos omnes, a diabolo factum esse, Deo permittente, statuimus: quid enim aliud ea sacræ Scripturæ verba significare possunt: *Dixit ergo Dominus ad satan: Ecce universa quæ habet in manu tuâ sunt; tantùm in eum non extendas manum tuam.* Igitur permissione Dei, potestatem diabolus habuit perdendi occidendique omne quod *Jobi* erat; boves & asinos per *Sabæos*, oves per *ignem cœlestem*, camelos per *Chaldæos*, ædes prolesque per *ventum enormem*. Supererat sancti viri corpus & valetudo. Hanc turbandi auferendique potestatem Deus negaverat. Interìm callidissimus generis humani hostis capiebat citra hanc nullam adesse spem animam Jobi perdendi; cum hâc fore maximam.

Igitur hanc potestatem conatur totis viribus Deo veluti extorquere. Deus, cu-

jus consilia a suâ voluntate non ab eâ diaboli pendebant, quique hâc vice prophetæ corpori nocendi potestatem illi permittere decreverat, hanc permisit illi, ne occideret tamen vetuit: *dixit ergo Dominus ad satan: Ecce in manu tuâ est, verùmtamen animam illius serva. Egressus igitur satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo à plantâ pedis usque ad verticem ejus.*

Cum *Agobardo* ergo agnoscimus diabolum efficere, nolente Deo, nihil posse; Deo permittente, quædam posse facere, sed nihil ultrà; Deo permittente partem tantummodò rei, eam facere integram diabolum non posse. Intelligi sic, cur omnes christiani firmiter semper crediderint, credantque, angelos malos hominibus ex se nocere nunquam posse: ubi nocent, hoc vel ad homines puniendos, vel purificandos a Deo permitti: habere proindè potestatem angelos pravos in hominum facultates & divitias, in ignem provocandum, in tempestates excitandas, in morbos sanis hominum corporibus infligendos. Dum igitur optimus iste præsul, dum *Laodiceæ* synodi patres, dum alii, ut, v. g. *sanctus Joannes Damascenus*, declamant in eos qui magicis operationibus fidem adhibent, eosque aposta-

tas quodammodò vocant, convincimur per temporum historiam hos sanctos viros ad fidem veram revocare illos voluisse, qui & sagis magisque longè plus quàm præstare possent, adscriberent, & divinam tribuerent diabolo potestatem, ac si, citra Dei permissionem, quæcumque vellet ageret.

Inficias autem ire nequimus peccatum in eo ab *Agobardo* fuisse, quod sæpè sic scripserit, ac si christiani omnes hanc indeterminatam cacodæmonum potestatem credidissent, magiæque extendissent efficaciam. Sed cum magnis viris id commune habuit, ut præoccupatione animo veritatem aliquando præterierit, ut jam suprà notavimus. Pulchrum autem videre est, quanta sit simplicis veritatis vis, quandò ejus mens a præoccupatione liberior in *Jobi* historiam commentatur, idque super ea profert, quod Ecclesia credidit, quod nos cum illâ ingenuè semper fassi sumus, ut mox constitit.

Objectio IX.

Auctoritas inclyti historiographi *Claudii Fleury*, magiam negantis, quemadmodùm ex ejus verbis in *Partis II Cap. I, n° 8*, relatis, constat, nonne multùm

nos promoveat oportet? nonne ingens pondus eorum adjicit qui cum illo magiam negant argumentis?

RESPONSIO.

Imò nullum opinor. Si contra opinionem quamcumque universalem unus alterve insurgat, num ideò illam hîc labefactat? Si hoc esset, quidnam certi haberemus unquam? Etenim nulla ferè non dicam opinio, sed perspicuis rationibus fulcita sententia est, quæ impugnatorem, e primoribus etiam viris, experta non sit? Si igitur magiæ affirmatio firmo fundamento innititur, ejusmodi sententia contraria vim nullam habet: ut ille, sic opinari viginti alii possunt, inconcussâ manente veritate. Attamen primùm, an magiam *Fleury* negaverit, examinandum est. Fortis est, fateor, duraque, quam laudato mox loco profert, sententia, magiæque negatrix. Adde, sicut *Part. I*, *Cap. I*, *Sect. III*, retuli, eum *Apollonii Thyanæi*, magi famosi, pleraque prodigia, a multis miracula vocata, per causas naturales explicare conatum esse. Quid quod postquam *Libr. I. Hist.* narrasset Neronis ad discendam magiam fervorem, *attamen*, inquit, *vera nunquam in-*

venit promissa magorum, ita ut ex hoc Neronis exemplo fortissimum nascatur de hujus artis falsitate argumentum?

Atque hoc quidem *Claudius Fleury*: & palmarium id ejus videri argumentum potest, quod homines præ physices ignorantiâ plura naturæ opera naturales excedere vires, quæ eam minimè excederent, arbitrati, ejusmodi artem dæmoniacam existere crediderint. *Hinc supposita*, inquit, *citra examen magia, ut vera ars, certæque regulæ creditæ, & ad secreta nonnulla detegenda, & ad mala quædam immittenda, idque dæmonum ope: ac si Deus non semper potuisset ad hæc efficiunda aut permittere, aut prohibere dæmonem, & ac si pacta cum malignis spiritibus rata habuisset.*

Quod physices ignorantia hîc quid possit, haud est cur dubitemus: magnetis, electricitatis, chemicarumque operationum complurium portenta, ideam magiæ facilè ingenerare physices ignaris possunt: sed nullas physices regulas nosco, secundùm quas explicare possem cur, cœlo sereno, mox, ad hominis imperium, pluvia aut grando cadat in determinatum locum, sic ut extra eumdem cadat nihil. Constitit tamen hanc verissimam historiam esse. Nullas regulas physices capio,

ſecundùm quas, ad nodum in linteo enodatum, ſummam tranquillitatem, mox & magnus & ſecundus ventus excipiat, qui quæſitus fuerat, idque repetitò. Exempli tamen certiſſimi res eſt, hiſtoriaſque veriſſimas, benè multas, multoque mirabiliores, afferre hîc poſſem, niſi, quemadmodùm ad finem *Cap. III*, *Part. I*, monui, me metus alios offendendi eaſdem ſupprimere coegiſſet. Ut igitur ejuſmodi enumerandis pluribus exemplis ſuperſedeam, an non in vitium planè oppoſitum ruimus, ſi omnia phænomena, quæ in mundo obſervantur, legibus exponere naturæ contendamus; nec verum quid agnoſcere, niſi quod per has leges explicetur, velimus? ut abſurda ex uno extremo, longè abſurdiora ex altero extremo prodibunt. Eſt modus in rebus.

Dum tamen plures ſententias & animadverſiones incomparabilis noſtri hiſtoriographi attentè proſequor, vix eo induci poſſum, ut illum magiam penitùs negaſſe credam. *Simonem magum Libr. I*, §. *XXIV*, « tantam ſibi admirationem » operationibus magicis conciliaſſe ſcri» bit, ut ipſi, veluti Deo, ſtatua erige» retur, cum inſcriptione: *Simoni Deo* » *ſancto.* » Et *Libr. II*, §. *XXXIII*, » volaturum ſe, cœlumque petiturum

» cùm promisisset, in altum verè subli-
» mavit se, *dæmonibus vectus;* » orantibus autem, & J. C. invocantibus Petro Pauloque, dæmones perterritti aufugerunt, & cadens magus, crus fregit utrumque. Commentatus in magi *Apollonii Thyanæi* potestatem dæmoniacum liberandi, *Si commercium cum dæmonibus haberet*, inquit, *cujus vel ipsi eum accusabant pagani, facilè credi potest dæmones cum eo, in hominem intrando, exeundoque ex homine, collusisse, quo ei autoritatem conciliarent, ad obscuranda christianorum, dæmones quotidiè fugantium, miracula vera.*

Postquam prodigium *Apollonii*, a *Domitiano* & senatu invisibiliter disparendi & elabendi, causis naturalibus explicare conatus esset, *Quod verò nunc sequitur*, inquit, *possibile citra dæmonis opem non videtur:* scilicet *Apollonii* transpositio inter meridiem ac vesperam *Româ Puteolos*, itinere proindè quinquaginta leucarum. Occasione autem querelarum *Apollonii* de lassitudine post hoc iter: *Etiam hoc affirmatur*, ait, *loco a diabolo motis extraordinariam superesse debilitatem.*

Hinc, ut quæ de magiâ egregius hic vir censuerit aperiam, videtur mihi in magiæ historiâ pervolvendâ mortalium ignorantiam, credulitatem, calliditatem, va-

fritiemque expertus, & hiſce vitiis, ut veritatem obnubilantibus, indignatus, tam ſeverum inſtituiſſe hujus artis examen, ut quod reapsè verum eſſet, ipſi tamen dubium ingereret, metumque incuteret, ne ſi qua impoſtura fortè ſubeſſet, eamque admiſiſſet, veritatem, præcipuum hiſtoriæ ornamentum, offenderet : ita tamen ut ſi facti cujuſquam veritas numeris omnibus abſoluta ipſi appareret, hoc inter vera candidus adſcriberet; ut in *Apollonii*, & magis in hiſtoriâ *Simonis Samaritani*, clarè patet. Hinc inter magiæ inficiatores injuſtè numeratur.

Objectio X.

Ad ſtabiliendam artem magicam fruſtrà SS. Patrum *Hieronymi* & *Auguſtini* adhibetur autoritas; ſiquidem ambo id quod ad eam ſtabiliendam ſcripſerant revocarunt. Et quidem prior in epiſtolâ ad *Nepotianum*, alter autem *in Libr. II, Cap. XXX. Retract.*

Responsio.

Reſpondeo utrumque falſum eſſe. 1° Quia *B. Hieronymus* juvenilem ſuum ſtylum, minimè verò ſenſum epiſtolæ carpit. Cùm ergo ſolum ſtylum ſuum condem-

nat, prætereàque nihil, quâ tandem fronte magiam retractasse scribitur adversarius? 2° Ipsi adversarii indicant S. Patrem, in suâ ad *Nepotianum* epistolâ, retractasse ea quæ ad magiam stabiliendam quondam scripserat; ipse autem *Hieronymus* ostendit se revocare nihil, nisi juvenilem stylum in epistolâ ad avunculum suum S. *Heliodorum* dominantem, in quo de magiâ nihil. Quod enim propriè de magiâ scripsit in vitâ *S. Hilarionis* abbatis reperiundum est. Ergo *B. Hieronymus* suam de magiâ sententiam minimè retractavit.

Multò minùs ea *S. Aug.* retractavit quæ de magiâ scripserat. Retractasse tamen aiunt loco mox laudato. Sed quod huc pertinet ne hilum quidem ibidem reperimus. En totum. *Per idem tempus accidit mihi ex quâdam disputatione necessitas, ut* de divinatione dæmonum *libellum scriberem, cujus titulus iste ipse est. In ejus autem loco quodam, ubi dixi :* Dæmones aliquandò & hominum dispositiones, non solùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, totâ facilitate perdiscere, *rem dixi occultissimam audaciore asseveratione, quam debui : nam pervenire ista ad notitiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta*

compertum est : sed utrum signa quædam dentur, ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia : an aliâ vi, & eâ spiritali, ista cognoscant, aut difficillimè potest ab hominibus, aut omninò non potest inveniri.

Itaque toto hoc textu *S. Aug.* modum quo rem explicuerat, leviter taxat, rem verò ipsam minimè, imò per experientiam hanc denuò confirmat. Hoccine retractare vocatur? Quæramus ejus retractationis libros ad illa scripta, in quibus de magiâ ex professo egit, num in iis circa magiam se retractavit? An *in Lib. I, Cap. I, Retract.* revocavit ea quæ de *mago Carthaginensi* in *Libr. contra Academicos* scripserat? Nunquid in *Libro II, Retr. Cap. XLIII*, illa revocavit quæ de magiâ tam solemniter in *Libris de Civ. Dei* affirmaverat? Num retractavit unquam *sermonem XC?* an *Libros de Trinitate?* an *Librum de Doct. Christianâ?* Hi tamen erant, qui artem magicam apertè profitentes, revocandi aut saltem castigandi fuissent, si sanctus pater mutatus sententiâ fuisset, quo tempore suas edebat retractationes.

Objectio XI.

Magiæ omnis si quis Patrum unquam,

everfor *B. Chryſoſtomus* fuit, *Homil. VIII in Coloſſ. Serm. XLIII in Matth. XXII in Geneſin;* quibus in eos invehitur qui dæmonum cum hominibus concubitum credunt, qui ad certas intentiones phylacteria, etiam ipſum Evangelium geſtant, &c.

RESPONSIO.

Reſp. primò. Hominum dæmonumque mutuum concubitum alii verum, alii magorum ſagarumque phantaſiâ, à dæmone excitatâ, imaginarium modò eſſe crediderunt: quæ ſententiarum explicatio duplex; etiam duplex eſt in quæſtione de nocturnis ſagarum per aëra itineribus: in diverſa ergo circa haſce pluresque alias quæſtiones abeuntes ſcriptores, magiam ipſam admittunt, nec in *Chryſoſtomi* textibus quidquam contrarium apparet. Non negant magiam, ſed ex eâ excicipiunt vel concubitum cum dæmone, vel nocturnas per aëra in diſſita tranſpoſitiones, vel utrumque; quod aut negant, aut dubitanter admittunt; inconcussâ interìm magiæ certitudine. Phylacteria autem *S. Chryſoſtomus* intelligit vel ipſas res ſacras, ut puta S. Evangelii verba, vel characteres, vel fructus, aliaſve res quas ſuperſtitione quâdam, ac ſi aut per

ſe, quod minus malum, aut cum Angelorum pravorum auxilio, quod omnium peſſimum, efficaces eſſe homines autumabant, ob idque ad collum aliaſque corporis partes admovebant.

Et quidem ultimo modo peſſimo, ſi non omnes, ſaltem plures, hæc externa corpori applicuiſſe illi videntur quos beatus hic Pater corripuit. Sic enim & *Van Eſpen* videtur credidiſſe Tom. IV, Part. III, nº 32. *Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus*, inquit hic doctor, *Homil.* 43 *in Matth*, Cap. XXIII, *invehitur in eos qui ſuâ ætate phylacteria ſua àd collum ſuum appendebant, vel partem aliquam Evangelii ſcriptam, quaſi virtus Evangelii in litterarum figuris ſita fuiſſet. Neque dubitat idem S. Doctor, Hom. 8 in Epiſt. ad Coloſſ. comparare aliquatenùs martyrio contentum harum vanitatum, quaſi vitam potiùs amittere, quàm has ſuperſtitioſas vanitates adhibere malint.* Si enim nullam magiæ efficaciam eſſe credidiſſet S. Pater, æqua ejuſdem non fuiſſet contemptum magiæ inter martyriumque comparatio. Martyr mortem evadit ſacrificando idolis; certò, ni ſacrificet, moriturus. Chriſtianus ſi non mortem, ſaltem mortis periculum evadit ſuperſtitione magicâ uſus; ni utatur, periturus. Ut nunc qui

negat adolere ſimulacro, martyrii coronam obtinet, ſic ille qui potiùs mori quàm magiam invocare malit, prœmium meretur martyrii. Ergo credidit *Chryſoſtomus* hæc phylacteria magica eſſe; & morbi curam a magicis ceremoniis, ſacris quidem, ut in hiſce ſæpè fit, verbis conceptis, diabolico tamen auxilio peractis, expectari &, Deo permittente, aliquandò obtineri. Sic conſtat ejus comparatio: ſi enim in propoſitione primâ dixiſſet: *Martyr mortem evadit, ſacrificando idolis, ni ſacrificet occidendus.* Et in alterâ: *Chriſtianus evadere mortem nunquam poteſt ejuſmodi ceremoniis, nunquam enim Deus permittit diabolo curandi morbos poteſtatem, undè ſive magicis ceremoniis uſus fuerit, vel non fuerit, nec plus, nec minùs, aut morietur, aut ſervabitur. Ergo qui maluit mori potiùs quàm fœdari per magiam, palmam martyrii meruit.* Quis non videt concluſionis abſurditatem? Concluſio juſta non eſt, niſi ſupponatur diabolicam exiſtere artem, quâ, Deo juſto ſuo judicio id permittente, morbis eximantur nonnunquam ægrotantes. Huic, quandoque efficaci, qui renunciet, qui mori malit quàm ſuâ in diabolum fiduciâ Omnipotentem offendere, is verè dignus coronâ martyrii eſt.

Cùm autem hîc de phylacteriis & amuletis ſermo fiat, erunt hæc parumper explicanda. Vel collo appendunt, vel geſtant in perâ, vel certis apponunt corporis plagis homines multi, ſive ſcedulas inſcriptas, aut ſacris verbis, aut impiis, aut ignotis characteribus; ſive inſecta, & animalia, bufonem, ranam, anguillæ partem; pannos variæ coloratos, maximè quos rubros tinxit cochinellæ ſuccus; ungulam alces; medicamenta, ut camphoram, radicem Ninzing Aſiaticam, chelidonium minus, ſemen agni-caſti, caſtanea ſylveſtria, ſaponem venetum, &c. Porrò apponendi geſtandique intentio examinanda eſt. Qui hiſce utuntur ſpemque utilitatis aut curationis habent, eò quòd per res ejuſmodi magos curare morbos credant, vehementer in Deum peccant, a quo ſolo expectanda cura morborum: qui verò vel directè, vel indirectè opem diaboli, magorum per amuleta miniſterio, hîc expectant, horribile peccatum committunt: qui verò credunt ea quæ ex vegetabilium, foſſilium, animaliumque regno petuntur, vi quadam naturali per inſpirationem, aut inhalationem, vel per alium quemcunque naturalem modum in ſolida fluidaque corporis humani agere, mutare, & ex

ſtatu morboſo in ſanum convertere poſſe; hos, quamvis forſitan longè plus naturæ viribus adſcribant quàm in hiſce rebus ineſt, non video plus peccare, quàm ſi res ſimiles, vel per os ingererent, vel ope clyſterum injectionumque per alia corporis loca admitterent.

Et ſic demùm reperio totum hoc negotium a *B. Auguſtino* intellectum & explicatum fuiſſe, *Libro de Doctr. Chriſt.* ubi de amuletis ſermo eſt, ſic aiente: *Aliud eſt dicere: Tritam iſtam herbam, ſi biberis, venter non dolebit; & aliud eſt dicere: Iſtam herbam collo ſi ſuſpenderis, venter non dolebit. Ibi enim probatur contemperatio ſalubris, hîc ſignificatio ſuperſtitioſa damnatur. Quamquam ubi præcantationes, & invocationes, & characteres non ſunt, plerumque dubium eſt, utrum res quæ alligatur, aut quoquo modo adjungitur ſanando corpori, vi naturæ valeat: quod liberè adhibendum eſt; an ſignificativâ quâdam obligatione proveniat: quod tantò prudentiùs oportet cavere Chriſtianum, quantò efficaciùs prodeſſe videbitur. Sed ubi latet quâ causâ quid valeat, quo animo quiſque utatur intereſt duntaxat, in ſanandis, vel temperandis corporibus, ſive in medicinâ, ſive in agriculturâ.* Atque hæc de phylacteriis & amuletis.

Objectio XII.

Magiæ falſitatem omnis qui præoccupatæ mentis non eſt clarè perſpicit in judicum teſtimoniis, magorumque confeſſionibus : ita ut ſapientes judices nonniſi deliramenta horum in examine detegerent ; ſagas in lecto totâ nocte cuſtodibus ſervantes, eaſdem mane aſſeverare audirent, ſe eâ nocte longo itinere a diabolo latas in conventum magorum ſagarumque fuiſſe eos, qui ſimul conveniſſent nomine ſingulos judicibus appellaſſe, cùm interìm hos quos nominabant, noctem in lecto tranquillos tranſegiſſe, æquè quàm priores, compertiſſimum eſſet : juſſos a judice magos, ut verè magicum ſpecimen ederent, fore tunc ut carcere demitterentur, nunquam id potuiſſe : tandem horum complures confeſſos fuiſſe ſolâ intentione oſtentationis, terroris, gaudii, & omnium maximè lucri, ſe & diaboli commercium, & initum cum illo pactum, & mirabilia a ſe ideò patrata, de induſtriâ finxiſſe & jactaſſe.

Responsio.

Reſpondeo per antitheſin : magiæ efficaciam numero longè plures judices teſ-

tati ſunt, ob ea quæ ipſis magi ſagæque affirmarent; ob ea quæ ſinguli ſeorſim primùm examinati, demùm verò omnes ſimul collecti, alii de aliis affirmarent, & vel facta magica, vel itinera nocturna, ſinguli ſingulorum ſic confirmarent, ac primùm privato in examine ſinguli & de ſe & de aliis confeſſi eſſent. Magos aliquandò juſſos magiam veram ſic exercuiſſe, ut judices, principeſque qui adeſſent, de magiæ virtute ſtupendâ convicti eſſent, ut in præcedentibus manifeſtò conſtitit: magos complures mortem ſubiiſſe, qui ad rogum uſque adhuc ſperaſſent fore ut diaboli auxilio eriperentur, magiamque nunquam negarent. En argumentum contra argumentum: qualenam autem alterum refutet, reſponſa ad ſeq. objectiones pandent.

Objectio XIII.

Magorum ac ſagarum plerique vix religionis principia a limine ſalutarunt; ab indigentibus parentibus, ignorantibuſque, peſſimè educati, egeſtateque confecti, dum a ſuorum ſimilibus divitias per magiam comparare ſe poſſe, diabolumque hîc Deo præſtare audiunt, facilè in hoc facinus alliciuntur. Adde quod, præ crassâ ſacræ religionis ignorantiâ,

eorum plerosque tam parùm futuræ felicitatis tangat desiderium, ut in prosperitate terrennâ spem omnem locent felicitatis, & quidquid ad eamdem obtinendam aptum arbitrentur, id unicè amplectentur. Adde hos homines passim hypochondriacos esse, atrabiliarios, quibus tetræ ideæ versari præ oculis solent, & quibus præprimis tanta vis imaginationis est, ut iteratò facta, seu a dæmone, seu a sceleratis hominibus repræsentatio, totam animam indelebiliter sæpè occupet. Quanta autem vis imaginationis sit ab uno homine in imaginationem alterius, viceque versâ; imò quantam vim habeant exhalationes, seu transpirationes per vividissimam imaginationem motæ, corpore expulsæ, perque atmosphæram in corpus ac cerebrum alius hominis immissæ, atque acceptæ, ex eo solo concludi potest, quòd *Verulamius*, *Paracelsus* & *Andreus* eam vim solam abundè sufficere ad omnia miranda magorum per causas planè naturales exponenda crederent, & magiam, quâ magiam, quâ artem diabolicam, ex mundo proscriberent. Quippe vera sic credere, vera esse jurare magos, & sagas, quæ unicè debeantur imaginationi: posse enim eos in somno sic a diabolo disponi, ut inconcussa ea

credant esse, quæ somno tali vividissimo atque protracto videre sibi visi sint. Incredibilem prætereà esse vim imaginationis & determinatæ in vafris hominibus nocendi voluntatis potestatem: enormem quoque spiritûum exhalantium de corpore hominum malevolorum, tam in propinquos vel homines, vel res, quibus nocere in animo habent; stupendamque virtutem spiritûum irritatorum & exhalantium de hisce vel rebus, vel hominibus, quibus malefici nocuerant, atque in ipsa maleficorum corpora retrogradorum, idque haud in viciniâ duntaxat, verùm etiam ad plurium, imò ad 100 milliarium distantiam: ita ut ridiculi esse videantur illi qui naturæ legum in maleficorum operationibus ignari, virtutem pravorum angelorum ad easdem explicandas convocant.

RESPONSIO.

Resp. prima. Facilè concedimus de plebis Ecclesiæque fæce, sagas multas & magos esse; eâ conditione tamen ut ejusmodi, si non nostrâ, saltem avorum memoriâ, in principum, in eruditorum, in nobilium ordine extitisse concedant, qui hoc objiciunt; sed sint cuncti egeni, stupidi, fide moribusque corrupti. Hos

profectò hostis generis humani tantò faciliùs suum in rete capiet.

Resp. secunda. Gratis asseritur omnem hanc immensam turbam magorum & sagarum atrabiliariam esse : atrâ bile, seu melancholiâ correptos plures fuisse ex historiâ quidem patet, maximè cùm diuturnos carceres, sævasque torturas iteratò sustinuissent; quibus vel jocosissimi mortalium atram sibi bilem consciscerent; sed simul audaces homines, a melancholiâ remotissimos, per omnes actus suos responsionesque historia magiæ nobis præbet abundè.

Resp. tertia. Imaginationis miram ac stupendam, nec rarò delendam vim esse nemo non novit, nemo aliquandò non dolet : verùm tantæ virtutis, extensionis, amplificationisque eamdem esse, ut vi imaginationis in lædendum hominem, pecus, atque frumentum determinatæ, humores corporis moveantur; ut nata exindè transpiratio characterem vivæ hujus imaginationis sibi impressum, secum intimè commistum gerat; ut hic stupendus character absolutè præpediat, ne, quæ aliàs transpiratio mox ab atmosphærâ absorbetur & annihilatur, jam spirituali imaginationis motæ impressione integrâ in absorbente atmosphærâ conservetur integra

tegra per atmoſphæram, vento quantumcumque adverſo, deferatur a motu, ſemel ab imaginatione hominis nocituri immiſſo, in diſtans plurium paſsûum, multarum orgyiarum, imò non unius, ſed centum milliarium; quis adeò demens ut hæc gratis aſſerentibus gratis concedat? An, qui magiam negaturi, ejuſmodi titivilitia gravi apparatu proferre audent, bonorum argumentorum non oſtendunt penuriam? An non miſerandum eorum eſt qui, ut rem captu difficilem, veram tamen, explodant, aliud quid tam ſibi, quàm nobis captu impoſſibile obtrudere ſatagunt?

Profectò ſi omnis incantatio vera, non per diabolicam magiam, ſed per explicitam mox vim imaginationis unicè peragatur, oportet eam inexhauſtam immenſamque eſſe. Mota imaginatio magorum Ægyptiacorum, ranas ſibi repræſentantium, emanavit cum tranſpiratione raniformi non in *Pharaonem* Ægyptique principes ſolos, ſed in urbis *Taneos*, ac vaſti regni incolas omnes, & quidem ſic, ut neque puer aut ſenex, neque vir aut mulier, in totâ *Ægypto* eſſet, qui non ubicumque locorum ranarum legiones cerneret, eaſdem diu noctuque audiret coaxantes, atque inſilientes in ſe & ſen-

F

tiret, & videret; dum interim nulla in regno rana adesset, nisi consueto ante hanc plagam more. Nonne ad negandum quod supra naturam in magiâ inveniunt, imaginationem suam, inconstantem illam, errabundamque corruptæ naturæ nostræ facultatem, adeò supra naturam extollunt, ut longè plus difficultatis in magiâ explicandâ sibi consciscant, quam nobis ejusdem per auxilium diaboli patratæ expositio pariat?

Cùm jam tertiâ vice argumentorum ordo me iis respondere jubeat, qui a magorum, præsertìm autem Ægyptiacorum, operationibus satanam planè excludentes, totum eorumdem opus ad causas naturales referre contendunt; adnectere hic debeo ipsam textûs Libri *Exodi* de magis *Pharaonis* expositionem *Rever. Mesenguy*, quem, ut SS. Bibliorum haud minùs doctissimum quàm piissimum commentatorem eruditi existimant. Est in *Tom. II, Cap. V.*

« Hoc, atque similia relata a sacrâ » Scripturâ facta, an operationes magicæ dentur dubitare non permittunt. » Veri magi dantur; homines scilicet » commercium habentes cum dæmonibus; horumque ope res nonnullas efficientes; quæ naturalem hominum su-

» perant poteſtatem. Id quidem negari » non poteſt, quod quidam effectus magiæ adſcribantur, qui vel extra imaginationem incenſam, vel extra nefandam mentitorum magorum impoſturam, vel extra errorem atque ignorantiam illorum qui, quidquid limitatioris ſui intellectûs cancellos excedit, cauſis ſupernaturalibus tribuere ſolent, nullibi planè exiſtunt. Verùm enim verò intellectûs perperam ſuperioris dicti, ac periculoſæ admodùm incredulitatis indicium foret, id omne aut imaginationi, aut impoſturæ, aut ignorantiæ, aut alteri cuicumque naturali cauſæ adſcribere velle, quod ſacra Biblia ad magiam, dæmoniſque operationem indubitanter referunt. Sin enim autoritates adeò manifeſtas explicationibus violentis, & traditioni ignotis, eludere fas eſſet, licentia opinandi effræna fieret; neque vel unica, quam ſacra Scriptura refert, veritas exiſteret, quam temeraria philoſophia ſuis argutiis, ſeu ſophiſmatibus non labefactaret. . . . Sufficiat id nobis probè noſſe, quòd Deo placuerit permittere ut ii, qui miniſtri & inſtrumenta dæmonis erant, divina *Moyſis* miracula ad certum quemdem terminum imita-

» rentur; quòdque dæmonis artificio at-
» que poteſtate hæc efficerent. »

Objectio XIV.

Falsò tribuitur magia virtuti diabolicæ, eò quod operâ magorum dicuntur homines evomere ranas, bufones, ſcorpiones, anguillas, clavos, cultros, gladiorum enormes portiones, linum, ſtupam, acículas, oſſa integra, ligna, lapides, &c. non ſemel modò, ſed pluries, imò per menſes annoſque.

Nam 1° hæc omnia plebis debentur inſcitiæ & credulitati, quâ aſtuti magi ſagæque abutantur, ut dum ejuſmodi animalia, corporaque ſupponere mirâ ſuâ aſtutiâ atque dexteritate norunt, ignarum vulgus eoſdem virtute naturam ſuperante pollere exiſtimet. Hujus facinoroſæ ſuppoſitionis rerum exemplis hiſtoria ſcatet, eventuſque quotidiani confirmant.

Sed 2°, ſi admitteremus omnes haſce hiſtorias veriſſimas eſſe, ne minimum quidem magiam diabolicam eſſe probarent. Bibliothecam hiſtoriæ & naturalis & medicæ pervolvendo, & hæc, & longè alia animalium inſectorumque genera, ferrum, æs, plumbum, cultrorum, gladiorum, ſagittarum, vitri fracti fruſta

haud exigua, acus, aciculas, &c. vel vomitu, vel alvo, vel utero, vel pulmone, vel veſicâ urinariâ ejeciſſe legimus, quas ejectiones philoſophi & medici non niſi naturalibus adſcripſêre cauſis: ita quidem ut inſecta & animalia ex ſemine exiliſſimo, ignoranter ſeu inſpirato, ſeu deglutito, & per fotum nutrimentumque domicilii nutrito excluſa, excretaque fuerint, & metallorum lignorumque fruſta à pueris, ab amentibus, imò ab hominibus vafris ad pecunias colligendas deglutita, naturali modo e corpore eliminentur.

Responsio.

Reſp. ad primam ſolutionem. Aſtutiam atque dexteritatem præſtigiatorum frequenter miremur oportet, eamque haud raró ad ſtupendos ejuſmodi vomitus alvoſque exhibendos admotam fuiſſe, ex veriſſimis novimus experimentis. Verùm quoque indubitatiſſimis experimentis novimus, corpora ejuſmodi mirifica multò majora quàm ab homine deglutiri potuiſſent, & adeò dum evomerentur, in viarum anguſtiis hærentia, ut ab adſtantibus medicis digito extrahenda eſſent, certò certiùs humano de corpore prodiiſſe, ut *Part. I, Cap. I,* conſtitit. Non

concludamus proindè ex fictis vera non dari, sed vera extare, quia fingitur. Suum non negat pantomimus exemplar. Neque astuta virtutis simulatio nulla mortalium pectora verâ virtute ornari docet; imò potiùs simulatio prototypi veritatem demonstrat.

Resp. ad secundam solutionem. Clari viri qui vel legerunt, vel ipsi viderunt, per varias corporis vias heterogenea corpora, in objectione enumerata, eliminari, idque modo penitùs naturali, nimium concludunt, si ejectionem similium omnem soli tribuant naturæ. Vidi cum ipsis, ab infantibus puerisque deglutita, & vomitu denuò reddita ligna, ossa animalium, nummos, glomeres serici, pannos; ut profectò aut deglutiri, aut vomitu ejici, præ mole, rigiditate, aspredineque potuisse mirarer. Minimè verò indè consequitur id quod quæcumque similia horum perhibentur, modo æquè naturali contigerint. Hoc tamen ut nobis persuadeant autores nonnulli mirificè se torquent. Concedimus in morborum historiis multa *primùm* nimiâ credulitate pro veris dari, quæ arte præstigiatrice naturali prodierint: *Secundò* multa vera esse quæ de deglutitis ejectisque enumeratis rebus enarrantur. Ipse dedi historiam mi-

litis, cui cum ſuis combibonibus id moris fuiſſet, ut ad noctem omnes ebrii ſua ſinguli pocula vitrea dentibus ruditer commolirent, ac deglutirent. Vide *Tom. XV. Rat. Med. Cap. III.* Alius militis, qui nummorum aureorum bonam copiam, ne eam ſibi furarentur hoſtes, deglutierat, diu retinuerat, & tandem artificioſo valdè vomitu denuò expulerat, *Tom. I, Rat. Med. cont. Part. II, Cap. VII.* Infantis demùm magnum nummum deglutientis, ac poſt 63 dies alvo reddentis. *Ibid. Tertiò.* Spontè quoque fatemur inſectorum, etiam majorum, ovula ignoranter poſſe deglutiri, & ubi excluſa fotaque creverint, per ſuperiora, aut inferiora eliminari; ita ut quidquid naturali modo explicari poſſit, ad ſupernaturalem minimè referamus. Laudamuſque vehementer omnes qui, quoad ejus fieri poſſit, nihil omninò ad ſupernaturales cauſas referant, quod explicari intelligique per naturales poſſit.

Verùm enim verò poſt centenos ſic expoſitos caſus, id minimè conſequitur, ut non contigerint, quos legibus naturæ non explices. Provoco ad hiſtorias a me *Part. I, Cap. III, §. III*, enarratas. Si, qui has prodiderunt autores, teſtes fuerint autopti; ſi iidem ſapientiâ, eruditione,

judicioque eminuerint, multam merentur a nobis fidem: si similia phænomena observata sint instrumentis atque characteribus in lecto inventis, & ablatis iisdem, mox cessaverint; si apud alios omnia symptomata, per menses continuata, mox siluerint, ex quò maleficus multâ pecuniâ illectus, magiâ magiam ad lectum solverit; si, post eductionem acutorum vulnerantiumque corporum, mox salus citra incommoda vulneraque redierit; utique fateamur necesse est, quemadmodùm in multis imposturam, sic quoque in non paucis inconcussam prædominari veritatem. Atqui ita se res habet, ut historiæ verissimæ, loco mox laudato enarratæ, fidem faciunt. Ergo non omnium negatio, sed prudens fictorum a veris requiritur distinctio.

Exemplum hujus egregium dedit nobis anno 1755, Clar. vir. *Paulus Valcarenghi*, in *Dissert. epistolari ad episc. Veronensem, de juvenculâ Veronensi, quæ saxa, lapides variæ molis & figuræ, frusta vitrea & ferrea, acus, catenas ferreas, &c. jam 13 annis, per superiora & inferiora eliminabat.* Sic enim naturalem hanc omnem operationem esse rostris unguibusque defendit, ut tandem finem hoc modo imponat: *Nollem tamen quempiam un-*

quam indè fortasse deducere me ideò quod in allatis circumstantiis naturales solas sufficere causas opinor, nulloque modo dæmonis hîc actionem admitto, id semper, & in aliis quibuscumque casibus, sentire velle. Dementis enim & scelesti hominis hoc esset, sacrisque paginis è diametro oppositum: quod ideò a me alienum est, atque, favente Deo, in posterum quoque futurum semper confido. Et quia egregii *Mercklini* sententiam tam appositè hîc refert *Valcarenghi*, nequeo quin eamdem hîc inseram. « Credulitate laborant, inquit *Mer-* » *cklinus*, & in excessu peccare videntur: » equidem inter morbos nullum prorsùs » ad incantationem accersere decet, » etiamsi abstrusissimis & insolentissimis » symptomatibus stipatus; nisi eum ex » naturalibus, vel potiùs præternaturali- » bus causis deducere nullo modo licue- » rit, adeòque omnem naturalium causa- » rum potestatem transgredi, ac superare » deprehendimus; *tunc enim de superna-* » *turalibus, seu transnaturalibus cogitan-* » *dum:* aliàs socordis & simplicis inge- » nii indicium esset ad supernaturalia con- » fugere velle, ubi naturalia suppetunt. »

Hîc quoque viri, neque creduli, neque præoccupati, magni *Hoffmanni*, modus dijudicandi erat, *Tom. IV, Diss. de*

potentiâ diaboli in corpora. Pro fundamento dicendorum *Plinii Hiſtorici* hanc ponit ſententiam : « Quemadmodùm » multa fieri non poſſe, priuſquam facta » ſunt, judicantur ; ita multa quoque, » quæ antiquitùs facta, quia nos ea non » vidimus, neque ratione aſſequimur, ex » iis eſſe quæ fieri non potuerunt judi- » camus : quæ ſumma inſipientia eſt. » Applicat deindè hanc *Plinii* ſententiam ad diſputationem de magiâ, & æquè eos damnat *qui nimiùm diabolo & incantationibus ſagarum tribuunt, eaque, quæ ex merè neceſſariis & phyſicis cauſis fluunt, hiſce adſcribunt ; cùm alii contra planè nihil potentiæ diaboli concedant, imò operationes ejus in corpora penitùs negent... Certè in rebus facti ſolâ autoritate eſt nitendùm... Jam autem num majori unquam autoritate hiſtoria factorum firmata & roborata ſit, quàm ea quæ docet varios effectus diaboli in corpora naturalia, & hominis, meritò anceps hæreo.* Gravis hæc gravis autoris ſententia eſt.

OBJECTIO XV.

Si quid veri magia haberet, ſi magorum conſtarent cum dæmonibus pacta, an non cerneremus ſagas magoſque divites, quòd Deo, ſummo bono renun-

ciantes, angelo prævaricatori, principi potentiſſimo, ſe totos dent, divinoſque deferant honores? E re infernalis hujus principis eſſet, eos divitiis cumulare, quò & fideles ipſi manerent, & exemplo verboque multos alios a Deo apoſtatas, qui ſibi ſuperbiſſimo ſpiritui cultum divinum præſtarent, redderent. Interìm an pauperior, an egeſtate preſſior, an miſeriis cumulatior, gens tellure geritur, quàm ea ſagarum magorumque? Vix videtur inanitatis magiæ clarior eſſe, validiorque demonſtratio.

RESPONSIO.

Reſp. prima. Si magiæ exiſtentis demonſtrationem omnia hucuſque dicta dederunt, non dantur oppoſitæ ſententiæ demonſtrationes.

Reſp. ſecunda. Noruntne, qui hoc objiciunt nobis, ſic omnes maleficos, ut non niſi egenam totam hanc plebem eſſe tutò aſſeverent? Nos profectò, illoſque illorum pars plurima latet, cum ſuo tenebrarum principe tenebras amans, quo certiùs diutiùſque noceat. Cæterùm hiſtoria nos docet viros principes, homines ſapientiâ, divitiis, ſummiſque dignitatibus inclytos magiam excoluiſſe.

Reſp. tertia. Etſi verùm ſit eorum, qui

judicum in manus incidunt, plures multa premi egestate, minimè hoc ad artem negandam facit. Fallax spiritus suos fallaciâ pascit, captosque in rete tenet; lucro pauculo spem facit majoris. Spe semper allecti, alacriter suâ impietate pergunt. Exempla hoc aliis in rebus confirmant. An nostrâ alchemisticâ gente pauperiorem noris? An dilapidatis cùm propriis, tùm divitum, quorum crumenas emunxerint, pecuniis, eò ardentiores in lapide philosophico quærendo obstinatoresque non videris? Simulatum quandòque lucri tantillum summas in spes erigit animos; cùm autem spes longa corpora ad longævitatem disponat, longam alchemistarum vitam magnus *Boerhaave* hinc explicabat. Interìm egeni vivunt, pauperes moriuntur. Si in arte fallaci, atque impossibili, spes sic obcœcat hominem, quid in magiâ non debet facere, quandò subindè quid lucri miseris suis afferat cultoribus? Ipsâque hâc spe diabolus illos sibi arctiùs devincit, ut impietate in Deum, injustitiâ, odioque in proximum, eò securiùs pergant.

Objectio XVI.

Abundè constitit per ea quæ *Part. II, Cap. I*, fusè dicta sunt, magiam maxi-

mam originis partem præjudiciis cùm vulgi, tùm judicum, ipsorumque *inquisitorum fidei* debere; constitit millenos homines magiæ reos habitos esse, qui, quid magia esset, ne unquam quidem audivissent: constitit judicum sæpè avaritiem insatiabilem criminationes, a præjudicio & ignorantiâ natas, multiplicasse: constitit denique accusatorum confessiones, astutiâ, & horrendâ inauditâque crudelitate extortas, ab iisdem tamen suam innocentiam per omnia sacra testantibus, centies revocatas fuisse. Ita ut ne umbra quidem magiæ post hæc omnia supersit, soliusque & ignorantiæ, & barbariei, & auri sacræ famis figmentum sit.

Responsio.

Resp. prima. Historia magiæ ista a magiam negantibus tradita, hyperbolam in eo sapit, quod vera quædam exagerando, & necessaria tacendo, falsam nobis rerum exhibeat effigiem. Quandò temporum illorum calamitatem lugent, cur compluriun cùm ecclesiasticorum, tùm civilium judicum eruditionem non attendant? non laudent æquitatem? non mansuetudinem, integritatemque extollant? Cur confessiones citra blandimenta minasque, citra torturam aut crudelitatem

omnem factas, atque maleficorum, sive obduratorum, sive resipiscentium testimonio ipso confirmatas, callidiusculè reticent?

Resp. secunda. Neque si exageratio judicum ignorantiæ, crudelitatis, avaritiæque, nulla hîc peccaret, an probaret id quod objectio profert argumentum? Qui hoc modo ratiocinantur, videant quò præcipitent sese. Quandò anno 64 *Romam* flammis in suî oblectamentum *Nero* imperator consumpserat, ac incendii culpam in Christianos, jam undiquè odiosos conjiciens, numerosissimos illorum, tanquam incendiarios, crudelissimæ morti exposuerat; an Romani, qui innocentiæ Christianorum convicti erant, benè conclusissent nec extare, nec extitisse unquam incendii crimen? Si *Verres*, si *Mezentius*, si *Nero*, *Domitianus*, & id genus centeni alii homines quos odio habebant, quorumve inhiabant possessionibus, furti, cædis, proditionis crimine accusaverint, mortique tradiderint, qui omnes tamen fuêre innocentes; an qui hanc gentem innocentem plorabant, si nullum unquam furtum, nullum læsæ Majestatis crimen, nullum homicidium extitisse conclusissent, nonne risissemus illos? Et ut aliquid proximius in rem di-

eam, non ſine animi dolore & mœrore fatemur tempora extitiſſe, quibus hominum haud ſanè pauci hæreſeos accuſarentur, inquiſitorum ignorantiâ, crudelitate, auri cupiditate, ad falſam ſuî accuſationem adigerentur, & vel morti, vel bonorum confiſcationi, vel exilio adjudicarentur, atque ad ſententiæ executionem uſque integræ ſuæ fidei Deum teſtem invocarent. Numquid ergo ſecundum hoc ſuum principium, & jure quidem, conficient hæreſin nullam vel extare, vel extitiſſe unquam? ut igitur cum tantâ orthodoxorum falsâ hæreſeos accuſatione & damnatione, hæreſis tamen extitit ſemper, ita ſimilis concluſio & de magiâ erit.

Objectio XVII.

Ipſa hiſtoria magica nihil apertius docet, quàm quod mera impoſtura, ridicula jactantia, arſque planè præſtigiatrix ſit. Et ſacræ paginæ hoc ipſis hiſce verbis teſtantur; hoc credidit Eccleſia vetus; hoc multoties aſſeruerunt Eccleſiæ patres, doctores, hiſtoriographi; quemadmodùm toties contra adverſarios noſtros, quidquid reclamaverint hi, demonſtratum fecimus. Opus tamen eſt novis hoc confirmare demonſtrationibus, ut

convictus quisque sit auguria, incantationesque individuas idololatriæ comites esse, & ut olim, ita adhuc apud idololatras gentes, ut ut ridiculas, perpetuò exerceri.

Primò consulendus hîc *Kæmpferus* est, tam in *historiâ Japoniæ*, quàm in *Amœnitatibus exoticis*. In *Hist. Jap. Libr. III, Cap. V*, ordinem religiosum *Jammabos* sacerdotum montanorum describit, se morbos magicè curare contendentium, idque pilulis confectis ex chartâ in quâ monachus ad enarrationem ægrotantis inscribit characteres, hanc in idoli locat altari, miris gesticulationibus sacram facit, confectasque ex eâdem pilulas, *Goof* dictas, cum aquâ de flumine, aut fonte, non minore superstitione haustâ, porrigit ægro. Quam inanem atque fallacem hanc prætensam magiam ipsi ducant *Japonenses*, vel ex eo liquet, quòd suum *Goof* non sumant, nisi quandò, irritâ consuetâ patriæ medicinâ, morbus in desperationem tendit. Quantùm ad cæteras decantatæ *Japonensium* magiæ partes attinet, in revelandis arcanis, in accusatorum culpâ innocentiâque detegendâ, in corporibus adversùs arma & ignem armandis, nullam unquam demonstrationem deprehendit.

In *Amœnitatibus exoticis politico-phy-*

ſico-medicis Faſciculo III, *Obſerv. XV*, *idem Kæmpferus* exhibet nobis *Perſarum*, & *ulterioris Aſiæ Indorum* magiam, in quâ *pag. 651* dei *Wiſthnu* feſtum, cui cum variis Europæis adſtitit, deſcribit. In hoc feſto *Malabarico* veſtales virgines, huic feſto peculiariter ſacras, ſacerdotes populo primùm proferunt modeſtas, reverenterque, quemadmodùm ad ſacra decet, incedentes : mox dein genios pravos in eaſdem, ut aiunt, immittunt, ſic ut nullæ hîc deſint dæmoniacorum geſticulationes. Tandem quo idoli majeſtatem poteſtatemque plebs reſciat, adoretque, veſtales horæ ſpatio in templo, præſente nemine, morantur, elapſâque horâ has æquè quàm principio modeſtas, compoſitas, reverenteſque, exhibent populo ſacerdotes.

Verùm *Kæmpfero*, cæteriſque *Europæis* viſum hoc probabile fuit, electuarium ex herbis inſaniam, convulſionemque inferentibus, compoſitum, veſtalibus datum fuiſſe; undè dæmoniacarum conſimiles redditæ fuerint : in templo veró, quemadmodùm *Indo-Batavus* quis per oſtii foramen vidiſſe ſe putat, porrectum virginibus antidotum fuiſſe. Et *Obſ. XVI*, totus eſt hic itinerator doctus in ligaturâ, ſive conjugalis copulæ

impedimento *Indorum*, ac potiſſimùm *Macaſſarorum* deſcribendo; notatque Chriſtianis orientalibus, iiſque ditioribus, moris eſſe, ut magus, vel ſaga matrimonialibus ceremoniis adſit ipſe, vel ipſa, quæ deligare, ſi maleficus quis ligaſſet, actutùm poſſet: quibus ceremoniis ipſum ſe interfuiſſe aſſeverat quidem; at verò vanas modò geſticulationes, falſas ſuppoſitiones, meraſque impoſturas eſſe, cunctas haſce ceremonias arbitratur.

Vidit itidem *Kæmpferus* commune illud ſpectaculum *Indorum* in deæ *Rauni* honorem, quæ ipſa olim heroina, non niſi fuſo cruore, ludiſque palæſtricis, ſolere delectari dicitur. Septem igitur nobiles athletæ à machinâ peraltâ duabus uncis ferreis, per muſculos dorſi adactis, ſuſpendebantur, alter poſt alterum, unâ manu gladio, alterâ ingenti clypeo muniti. Tribus continuis vicibus templum hâc mobili machinâ circumvecti, fortiter arma, laniſtarum more, vibrabant; tùm etiam caput, axillas & crura, hiſtrionum lepore, veluti per aëra natantes, motabant, ne minimum quidem ex ſuis actionibus, & ex crudeli cruentâque ſuſpenſione doloris indicium præbentes. Clarus autor totum valido narcotico, neutiquam verò cauſis ſupernaturalibus ullis, tribuit.

Secundò. De Nigritarum magiâ plures teſtes à magiæ defenſoribus laudantur. Verùm invenimus teſtes haud ſanè paucos, qui & longitudine temporis quod apud ipſos triverint, & commercio quod continuò cum iiſdem habuerint, autoritateque, quâ iiſdem complures annos præfuerint, majorem cæteris fidem merentur. Porrò rident hi cunctam illorum magiam, tanquam mera idololatrorum ſacerdotum præſtigia, licèt hæc vero cum dæmone commercio fieri cenſeat plebs credula.

Sic *Wilhelmus Boſmann*, qui longâ annorum ſerie, *Batavæ ſocietatis Indiæ occidentalis* autoritate, præfuit Nigritis ad *aureum*, ut vocant, *littus* in *Guineâ*, *Epiſtolâ X*, longè latèque deſcribit nobis rudis hujus *Africani* populi auguria; falsè autem ridet ſacerdotum, aut magorum calliditatem, quòd in fictis ſuis, ſive auguriis, ſive auſpiciis, mille adhibeant imponendi artes, ne fucum plebs ſubolfaciat. Ut *Boſmannus*, ſic *Joannes Morgan*, Anglicus ſcriptor, *hiſtoriæ Barbariæ Tom. I*, *Cap. V*, relatâ infelici expeditione *Africanâ* imperatoris *Caroli V*, ejuſdem ita infortunatæ in cauſas indagavit, cùm ipſo in loco eſſet, idque eò attentiùs examinavit, quòd claſſis navalis

imperatoriæ clades maleficio tribueretur. Historiam hanc ex Gallico autore *Laugier de Tassy*, atque ex *Algerinorum* relatione, diabolo adscriptam traditurus, in antecessum nos præmonet anilibus fabulis quàm veritati similiora cuncta esse, quæ perhibent illi.

Doctus vir *Joannes Egede*, in Libro de eâ *Americæ* septentrionalis parte, quæ *Vetus Groënlandia*, seu *Fretum Davis* vel *Davidis* appellatur, *Cap. XVII*, de religione, seu potiùs superstitione, *hujus populi*, apud quem *Daniæ* regis jussu Missionarii munere 15 annorum spatio functus est, multa nobis retulit eorum, quæ incolæ de suis & magis, & exorcistis secum communicaverant, hosque didicit ab illis esse distinguendos in viros spectabiles, cum spiritibus cœlestibus conversantes, momentoque temporis ex ædibus in summos cœlos raptos, ubi a viris sapientibus, prædecessoribus suis instruuntur de agendis, & in magos, ac maximè in sagas, quæ suâ magicâ arte hominibus nocere in vitâ bonisque contendunt: priores multo honore donisque gaudere; posteriores vilipendi, imò quandoque, ut societatis humanæ pestes, morte plecti. Porrò utriusque generis artificia autor, post 15 annorum

experientiam, non nisi mimica & lucrificabilia esse arbitratur.

Responsio.

Resp. prima ad singulas objectionis patres simul. Qui retulêre has observationes autores se magiæ negatores declarare minimè verentur, adeòque testimonia pauxillulùm suspecta reddunt. Concessis verò quæ volunt omnibus, consequitur id, ut vera magia haud ex æquo apud singulas idololatras gentes exerceatur; utque sint, apud quas planè præstigiatrix duntaxat sit; sicuti ex prioribus constitit esse, quæ veram eamdem possideant colantque. Verùm vix admittere negantem ipsorum sententiam possumus, propter ea ipsa, quæ ipsis inter narrandum hinc indè elapsa sint. Quæ ordine hîc enarrare operæ pretium erit.

Ac *primò* quidem *Kæmpferus* in suâ primâ historiâ relegendus est. Eò quòd *Japonenses* suas sacras pilulas non sumant, nisi in summo moriendi periculo, credit nullarum virium easdem esse, cùm alias maturiùs adhibituri essent. Non video conclusionem justam esse; nam videtur hoc medicamentum magicum non nisi supremo morbi discrimini reservari, hincque maturiùs non assumi: quia verò tunc

aſſumunt *Japonenſes*, idque perpetuò; an non indè juvamen ſæpè habere videntur? Profectò uſus abſolevifſet, ſi ſacerdotum ars merè ludicra foret.

In alterâ hiſtoriâ idem itinerator ac medicus, cenſet *veſtalibus virginibus* electuarium ex herbis, convulſionem fatuitatemque generantibus, porrectum fuiſſe, ut inſanirent: & quod dæmoniacarum more inſanientes, inque aditum templi reductæ, intrà horam ſapientes modeſtæque in populum remitterentur, dato adſcribit antidoto. Quo utroque & inſaniam, & ſanam mentem faciente medicamine, ſacerdotes credit fucum populo facere, ac ſi ipſi genios pravos in veſtales immiſiſſent, & *dei Wiſthnu* potentia tanta eſſet, ut fugatis dæmonibus ſana cuique mens rediiſſet. Ad confirmandam autem ſuppoſitionem ſuam, quàm mirificæ ad cerebrum corpuſque turbandum ſint potiones *Malabarorum*, expertum ſe narrat in ſe ipſo ſociiſque ſuis fuiſſe, dum ab illâ gente convivio excepti, ludicrum omninò exhiberent ſpectaculum.

Nullam ergo magiam diabolicam dari ratus *Kæmpferus*, cùm videret *veſtales juvenculas* ex ſeriis modeſtiſque mox dæmoniacè furibundas, audiſſetque hoc a ſacerdotum cœtu cacodæmonibus, a ſe

in easdem missis adscribi; quod ipse fieri negabat posse, maluit electuarium insanum pro causâ suspicari; cujus suspicionis nullam vel minimam rationem habebat, nisi quòd cæterùm tam subitò, inque singulis natam insaniam, tamque subitò suppressam capere non posset. Quod verò biennium in *Japoniâ*, hemipolis ferè regni transigens, nunquam suam sine ullo fundamento captam suspicionem, vel minutissimo experimento, potuerit probare, est profectò quod miremur; quodque gentis in eodem cultu, cum iisdem terrificis, stupendisque ceremoniis, perseverantiam & fidem expertus, nec ad falsitatem demonstrandam tanto tempore aptus, sententiam non mutaverit, est quod capere nequeamus.

Verùm *puellas vestales*, insanientes antidoto dato resipuisse vir *Indo-Batavus* vidit: ergo per vim antidoti intelligitur anteà insaniens venenum exhibitum fuisse, sufficienterque probatur.

Nisi me animus fallit, non video hoc exindè consequi. *Indo-Batavus* ille narravit antidotum datum *vestalibus* in adito templi: aditum autem hunc adeò spatiosum fuisse, ut universi templi tertiam amplitudinis partem coæquaret: in tam vasto ædificio unicam modo lampadem

ſplenduiſſe : ac tandem ſe non potuiſſe, niſi per oſtii foraminulum, quid videre. Concluſionem relinquo lectoribus.

In *tertiâ* hiſtoriâ, ubi negat copulæ conjugalis ligaturam, nullam ſuæ negationis rationem afferens, mero ratiocinio ſe rem confeciſſe putavit.

Sed in *quartâ Kæmpferi* hiſtoriâ quid memorabile ſe offert nobis. Vidimus enim clarum hunc autorem eam opii adſcribere virtuti; quod an credibile, videamus. *Primum* notandum eſt athletas illos ſeptem a peraltâ machinâ pendere, duobus uncis ferreis, in dorſi muſculos infixis. *Secundò* eos ſic ſuſpenſos unâ manu clypeum, alterâ gladium vibrare fortiter debere, ita ut unci in dorſi muſculos infixi, & eoſdem, & tendines, & nervos convellere lacerareque, ac varias & ſæpè notabiles hemorrhagias, vehementeſque convulſiones creare debuerint. *Tertiò* athletas in horrendum hunc modum pendulos, circùm integrum templum circumvehi ter ſolere; ſic ut motus ille continuus, atque diuturnus avellere & dilacerare dictas partes vehementer debuerit, corpuſque totum in enormes agitare convulſiones. *Quartò.* In ternâ hâc circùm templum circumductione eoſdem caput, axillas, cruraque motitare,

ac lepore hiſtrionum veluti per aëra natare debere ; undè dolores, convulſiones, delacerationes vehementer augeantur oportuit. Nihilominùs athletarum horum nemo vel ſignum dat, aut moleſtiæ, aut convulſionis, aut doloris, aut deficientis cruoris ; nemo vel in ipſo immani ſacrificio hoc, vel poſteà, vulneribus convulſionibuſque periit.

Cauſiſne igitur naturalibus miranda hæc phænomena, an ſupernaturalibus tribuenda ſint ? quæritur.

Naturalibus *Kæmpferus* cenſet : *In circum*, inquit, *qui ſuſpendendos ſtringebat, me continuò intrudens, video a brachmane propinari ex nucis cocos putamine hauſtum aliquem, procul dubio narcoticum, quî dolores ſopiret, quos a Deo templi præſide aboleri credebat populus. Interroganti mihi reſpondebat ſacerdos : ſuccum eſſe* lansjes, *quem adversùs ſitim & deliquium propinarent. Lansjes eſt nux cocos immatura, liquorem dulcem continens, qui ſucceſſu temporis coagulatur in nucleum.*

Credidit ergo *Kæmpferus* non verum ſuccum *cocos*, ſed narcoticum propinatum fuiſſe ſuſpendendis. Condonarem medicinæ ignaro hanc ſuppoſitionem : quî verò condonabo eam medico, qui virium ſimplicium apprimè gnarus, noſſe debuiſ-

ſet narcoticum eſſe non potuiſſe, quo crudeliſſimi, continuò poſt narcoticum aſſumptum millies renovati, & non ferendi mortalibus dolores ita ſopirentur, *ut ne minimum quidem*, ſicut ipſe ſcribit, *ex actionibus & cruentâ ſuſpenſioue præberent doloris indicium?* An ejuſmodi exiſtat in rerum naturâ narcoticum, ſeu opiatum, quod crudeliſſimos dolores conſopiat, causâ dolorum atrociſſimorum & continuâ & aſſiduò renovatâ? Experimento novimus quàm parùm formidanda narcoticorum doſis dolores cancroſos, v. g. uteri, aut ſopiat, aut ſaltem leniat, quia perſeverat cauſa doloris. Ut ne a granis 72 opii quidem, pluribus conſequentibus noctibus datis, utero cancroſam mulierem ne vel minimum oculis ſomnum vidiſſe viderim. Aſt, inquies, narcotici vis aucta adeò fuit, adeòque liberalis data ejus doſis, ut debuerit ſoporare dolorem. Igiturne hæc enormis opii copia ſopivit dolores, ut ne renovatâ quidem aſſiduò causâ, vel minimum perciperentur; & intereà non affecit vel hilum cerebrum, cùm nobiles athletæ toto ceremoniarum tempore clypeum gladiumque vibrarent, atque corpus ſingulosque artus, hiſtrionico more, perpetuò agitarent, corporiſque proprii pon-

dere magis magiſque transfixos muſculos dilacerarent? Igitur autor noſter, qui optimè novit a narcoticis id quod prætendit præſtari non poſſe, hoc ſubterfugium unicè ideò quæſiviſſe videtur, ne in hâc idololatriæ pompâ diabolicam agnoſceret operam. Tutius credidiſſet, fide ſacerdotis, eſſe nucis *cocos* ſuccum, qui copioſus, lacteus, dulcis, blanditie fatuus, ſitis reſtinguens ardorem eſt, ut pluries guſtavi & expertus ſum.

Imò verò, inquies, ipſe *Kæmpferus* teſtatur ſe pluresque ſociorum convivio apud *Benjanos* exceptos, tali narcotico potionatos fuiſſe, ut omnes fatui, in cachinnos ſoluti, per nubes & irides vehi ſibi viſi eſſent, donec heſternam crapulam edormiviſſent. Demus & hoc: an illuſtris noſter itinerator cum ſociis crudeliſſimâ torturâ cum athletis vexatus fuerit, ut putet ſe effectus ejuſmodi, atque illi ediderant, ediḋiſſe? An athletæ in cachinnos continuos durantibus iſtis ceremoniis ſolverentur, ut illi? Nihil ergo ſimile inter hoſce & illos fuit.

Sed crudeliſſima hæc idololatriæ ceremonia & magis communis apud gentem hanc eſt, & aliis comitatata exercitiis, quàm quidem *Kæmpferus* notat. *Dapper* in *Aſiæ deſcriptione, pag.* 160, nobis re-

ligionem *Brahminorum* enarrat, ac omnia vota, ac pœnitentias, quas pro peccatis ſuis, ſeu ſacerdos, ſeu ipſi ſibi imponunt, etiam eleganti tabulâ repræſentat, & hanc nobis, ut frequentem pœnitentiam aut votum, effigie monſtrat. Hîc nulla mentio alicujus aut potûs, aut medicamenti; hîc pœnitens longo tempore ab uncis, dorſi carnes penetrantibus, ſuſpenſus aëra ſcuto gladioque verberat, in deorum laudem hymnos cantat, & *ſclopetum* ſæpiùs onerat & explodit. Et fœminæ, æquè quam viri, hoc, ſive voti, ſive reſipiſcentiæ exercitium ſubeunt; voxque una cunctorum eſt, nihil aut percipi indè doloris, aut prava ſymptomata ſequi.

Meritò igitur jure concludo, non poſſe cauſis ullis naturalibus hoc idololatricum exercitium adſcribi, ſed diabolicum opitulari auxilium. Atque hæc ſat ſuperque de *Kæmpfero*.

Objectionem petitam ex *Boſmanno* & *Morgano*, paucis expediam. Per omnia conſtat utriſque animam eſſe omne negandi magicum. Fortè jure etiam negarunt, cum tot impoſturis ſæpè magia ſimuletur. Hoc nunc quomodò probaverint audiamus. Hiſtorias ſuas enarrant, & nullâ datâ ratione impoſturas vocant,

affatìm rident, & ad alia transeunt. Ergo quod ex hisce objicitur nobis, profectò nullius est ponderis.

Tandem ad objectionem ex *missionario Egede* petitam, dico eum ita negasse magiam, ut vel in dubium vocare eam, vel admittere aliquandò visus sit. Quid enim aliud, postquam negare magiam visus esset, hæc ejus animadversio significet? *Quamvis hæc omnia asseverant incolæ*, ait, *haud facilè inducor ut credam in hisce, seu vaticiniis, seu exorcismis, aliquod verum intercurrere cum diabolo commercium. Quantùm enim mihi apparet, videtur mihi & circulatoria eorum ars esse, & præstigiatrix, & mendax, quâ apud illos callidissimi, cum lautè solvi ipsis soleat, abutuntur. Negari tamen penitùs non potest, quin diabolus cum iisdem cooperetur, præstigiatorumque princeps sit, quo miserandas hasce gentes sibi captivas teneat, neve Deum verum agnoscant prohibeat.* Qui igitur negat magiam & non negat, his contra veræ magiæ sententiam laudari, neque opponi nobis debet. Dicit tamen, inquies, haud facilè induci se ut diaboli credat intercurrere commercium. Hoc dicit, vel quia rationes habet, vel quia magiam veram non dari ferè credat. Nullam autem rationem dat cur

diabolum ad magiam *Groënlandarum* non admittat; nullamque rationem, ob quam vel factá ipsa neget, vel per causas naturales explicet: ergo mentis præoccupatione videtur ferè negare diaboli ad magos concursum, sic tamen ut de suâ opinione dubitare valdè nonnunquam videatur.

Objectio XVIII.

Nunquam magis dæmoniaca magia radicitùs evulsa est, quàm viri doctissimi *de la Chapelle* eleganti tractatu. Scatet quippe historiis antiquorum, recentiumque dierum, quibus evincitur solius naturæ opus & exercitium esse omne *ventriloquorum* portentum. Sic quidem, ut, cùm extiterint, extentque ventriloqui, quorum mentem, non detestanda cum *principe & rectore tenebrarum harum* conventio, sed verus religionis, verus *patris luminum* cultus & amor explebat, error nullo modo condonandus sit velle gastriloquos dæmonis operâ agi. Si itaque nullo modo dæmonum, sed singulare naturæ opus sit, an secundum sæculorum elapsorum ignorantiam, illos quos pythones natura fecit, vivis ultra licet comburere flammis? An unà non cadit omnis de verâ magiâ error, eò quòd, sicut pythonum, ita ma-

gorum augurumque omnium, artificium deprehendatur esse πολυδυναμῆς naturæ opus ?

Responsio.

Laudamus eruditi viri *de la Chapelle* opus, cujus epitomen lubens dedissem, ni argumentorum historiarumque vim infirmasset extractum : undè potiùs ad opus ipsum mitto lectorem. Gratias ipsi referre ecclesiastici, politici, jurisconsulti, medici ac physici debemus, eò quòd, quidquid de hâc materie, & utile, & necessarium scitu erat ex tenebris eruerit, & in tam clarâ luce collocaverit, ut haud parùm indè didicisse ultrò fateamur. At verò cùm non in omnibus cum illustri autore convenire, neque indè id quod ille per omnia concludere possimus, licebit nobis eas rationes proferre, quæ, ne hucusque assentiamur, præpediant.

Operis enim conclusio ea est, ut cum pythone omnis omninò magia diabolica è rerum naturâ exulet, neque ullus in posterum aut magus, aut saga, aut incantator morte puniendus sit. Huic verò conclusioni quænam fundamenta substraverit autor, inquirere operæ pretium est. Porrò argumentum suum sic format.

Ventriloquos creditum fuit non na-

turæ, ſed ſatanæ auxilio tales eſſe, ob idque mortis ſupplicio dignos.

Atqui ventriloqui non ſatanæ, ſed naturæ viribus ventrioliquium exercent.

Ergo per omnia ſæcula perperam creditum fuit eos & diabolo agitari, & morte dignos eſſe. Huc ejus redit totum opuſculum.

Singulas ponderemus propoſitiones. Majorem cenſeo ſic eſſe diſtinguendam: Ventriloqui, qui hâc ſuâ arte neminem unquam, aut ſeducere, aut lædere contenderunt, neque quod naturæ vires ſuperet unquam aut fecerunt, aut facere tentaverunt, crediti ſunt & diaboli poteſtate agere, & mortis rei eſſe: nego majorem. Ventriloqui, qui hâc ſuâ poteſtate alios lædere, alios ad impietatem ſeducere conati ſunt, quique prodigia viribus humanis certò certiùs ſuperiora ediderunt, diabolicâ poteſtate egêre neciſque digni habiti ſunt: concedo majorem.

Ad minorem reſpondeo quoque diſtinguendo: Qui non a dæmone, ſed naturâ & induſtriâ ventriloqui dicebantur, extiterunt ſemper, ſed numero pauciſſimi: concedo. Ventriloqui omnes ab orbe condito, in dies uſque noſtros, non dæmonis, ſed propriæ naturæ viribus exercuerunt ventriloquium: nego mi-

norem. Et pariter diſtinguo conſequentiam.

Diſtinctionis autem rationes haſce dabo.

I. Leges in *pythonas* latæ ideò hos mortis ſupplicio plectunt, quòd ſuâ arte vel ad idololatriam, vel ad dæmonum cultum homines ſeducere ſtudeant; vel quòd ſimul perficere ea conentur, ac reapsè perficiant, quæ nemini mortalium per naturæ vires perficere datum eſt. Evictum hoc primâ mei operis parte fuit.

II. *Pythones* appellantur in legibus omnes magi & ſagæ augureſque; ita ut nunc hoc, nunc alio horum nomine recenſeantur. Idem & in primâ hujus parte probavi.

III. Doctus & ſagax autor per omnes ſuos labores non potuit, in universâ trium ſæculorum totius *Europæ* hiſtoriâ, ultra 12 aut 13 homines, naturâ induſtriâque *pythonas* detegere: qui profectò ad eamdem concluſionem de *pythonum* omnis mundi ætatis miriadibus formandam, nihil prorsùm faciunt. Rectène ab his paucis concludat ad omnes?

Ponamus regnum quoddam vaſtiſſimum adulterinâ monetâ infame eſſe: ponamus præterea in eodem regno, poſt ſedulam

inquiſitionem, genuinas monetas numero duodecim inventas eſſe: juſtone concluderem nec eſſe ibidem, nec fuiſſe unquam, ne vel unicam quidem adulterinam monetam?

Si contingeret me apud gentem populoſiſſimam eſſe quam, aut otioſam, aut ebrioſam, aut proditoriam, aut maledicam vetus fama veraque ferret; ego autem in hiſtoriâ gentis a ter centum retroactis annis duodecim homines detegerem, qui vel laborioſi, vel ſobrii, vel ſinceri, vel veridici fuiſſent; an jure concluderem falſam eſſe quæ huic nationi inuſta eſſet infamiam?

Imò ſi longè numeroſiores inveniſſem qui vitioſo gentis charactere vacarent, intempeſtiva mea concluſio foret. Per ſolas ſuas naturæ æſtutiæque vires addiſcunt multi vafri homines tam vividum referre *epilepſiæ* ſimulacrum, ut epileptici reverà eſſe benè multis videantur: quorum multa exempla in *Rat. Med. Tom. V & XV*, cum publico communicavi. Igiturne, detectâ toties fraude, ſapienter concludam neque veram exiſtere, nec unquam extitiſſe epilepſiam? An quod ab omni retro tempore, hodiedumque, tot ſint a dæmone fictè obſeſſi, ritè confecero nullos verè obſeſſos unquam fuiſſe?

Vide quid *Tom. XV* de dæmoniacis notavi.

Igitur egregius autor duodecim ſuos, quos pythonas vocat, per naturam induſtriamque eò perveniſſe ut poſſent, ſi vellent, multis veri ſpecie imponere; poſſe quoque ad pravas intentiones eâ quâ pollent facultate abuti, tutò concludere, multoſque fortè horum ſimiles ante 1000, 2000, 3000 annos extitiſſe, aliiſque impoſuiſſe, conjectare quidem inculpatè poteſt: ultra verò nihil: quod enim ultra conficere ex iiſdem contendit minimè indè conſequitur.

IV. Nimius eſt ad cæteros magos omnes a ſuis pythonibus ſaltus. Si egregius ſcriptor reverà probaſſet, non modò ſuos duodecim trium ſæculorum omnis orbis notos pythonas, verùm etiam quotquot ab origine mundi per univerſi orbis plagas ejuſmodi extitiſſent a naturâ duntaxat, neutiquam verò ab angelo pravo, hâc pollere facultate; ſi hoc, inquam, jam probaſſet, jus indè nullum, nullam cauſam habuiſſet cur idem, ſine ullo prævio argumento & demonſtratione de magiâ, affirmaret. Multò autem minùs nunc, cùm nihil, niſi ſuos duodecim nihil commune cum cacodæmone habe-

re, unicè probaverit. Hunc igitur hiatum ſupplere tentabo.

Potuiſſet utique probare facilè magos multos vocari, naturæque excedere vires dici, qui nihilominùs ſolis agant naturæ facultatibus : imò & illorum qui magorum affectarent nomen, faſſos tandem fuiſſe id quod tanto cum hominum ſtupore perpetraſſent, ſoli ſuæ aſtutiæ, calliditati atque intrepiditati debere. Potuiſſet nobis mirificas enarrare momorum actiones, qui luſu chartarum, qui certâ chartarum electione, diſtributione, confuſione, collectione, attonitos reddunt adſtantes; qui tam callidè norunt manum dirigere adſtantis, ut hic per omnia juret, ſe quod manu teneret extra feneſtram projeciſſe, dùm interim ille id quod alterius manûs continebat, mirandâ dexteritate ſuâ clàm ſic prehenderit, ut fucum ſubolfacere ne attentiſſimi quidem ſpectatorum potuerint. Hoc enim candidè fatendum eſt, quamvis apud æruſcatores & præſtigiatores diaboli concurſum perpetuò ſecludere nollem, eoſdem tamen tam portentosâ propriâ calliditate edere, ut vel prudentiſſimi viri removere ab animo ſupernaturalis concursûs ſuſpicionem vix poſſint.

Hiſce ſimilibuſque exemplis, millenos falsò pro magis, aut haberi, aut habitos fuiſſe probare liquidò potuiſſet autor noſter, quemadmodùm idem de ſuis probaverit pythonibus. At verò, hoc probato, ſupereſſet illi, ut idem de omnium ævorum per univerſum orbem magis ac ſagis probaret: quo penſo laborioſo abſoluto, legitimè tandem veri quid concluſiſſet. Sed nullo argumento contra magiam prævio, ex ſuis duodecim, quos ita vocat, ventriloquis, ad ventriloquos omnes concludere; quin, ac ſi leviſſimi res negotii eſſet, omnem magiam ſub eâdem concluſione comprehendere, neſcio an ſit ſeverioris logices præceptis conſentaneum?

V. Haud exiguus nodus autori ſolvendus manet, injuſtâ planè morte plexos pythonas pronuntianti, quos non eccleſiaſticæ civileſque leges duntaxat, verùm ipſa lex divina mortis addixit ſupplicio. Miror ab ipſo difficultatem hanc, quam ſaltem indicare debuiſſet, fuiſſe prorsùs diſſimulatam. Cùm enim ſuis duodecim numero ventriloquis, omnis ævi ventriloquos ſimiles eſſe cenſeat, & ventriloquos morte plectendos eſſe Deus jubeat, difficultatem hanc agnoſcere, &, ſi potis fuiſſet, ſolvere debuiſſet.

VI. Quid si in toto suo opere nihil probarit? Hoc ego demonstrari liquidò posse reor. Titulus operis *de ventriloquis* est: opus ipsum ne hilum quidem *de ventriloquis*, unicè verò *de bissonis* agit. Aliud quippe est loqui, ut vox ipso de ventre videatur oriri auditoribus; aliud iterùm est & vocem naturalem edere, & mox vocem simulare, quam vel ex valdè sublimi, vel de profundo, vel utrovis latere, 20, 50, 100 abindè passibus edi putes. Hanc duplicem adeò diversam loquendi facultatem *vir doctus de la Chapelle* in omnibus suis; hanc scriptorum nulli memorarunt in pythonibus, nec sacri, nec profani. Ipse Deus nobis *Isaiæ XXIX, v. 4*, verum descripsit quo loquuntur pythones modum. *Humiliaberis, de terrâ loqueris, & de humo audietur eloquium tuum; & erit quasi pythonis de terrâ vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.* Ἐγγαστρίμυθος, inquit *Scapula*, « quasi diceretur *ventriloquus*: sic vocatur qui vel quæ in » ventre dæmonem habet, responsa in» terrogantibus dantem: magus & ario» lus, apud Græcorum Bibliorum inter» pretes. *Galenus* vult apud *Hippocratem* » ita appellari eum qui clauso ore lo» quitur, quasi ventre loqui videatur. » Cùm & *Scapula* nos ad *Hippocratem* re-

mittat, & *D. de la Chapelle* hâc occasione quoque laudet *Hippocratem*, hîcque reverà negotio haud parum lucis afferat, ipsum audiamus æquum est.

Epidemicorum Libr. V, & iisdem penè verbis *Libr. VII*, sic habet ille: *Polemarchi conjugi, per hyemem anginâ laboranti, guttur intumuit cum multâ febre, & sanguis missus est, faucium suffocatio desiit, febris perseveravit. Sub quintum diem tumor ad lævum genu cum dolore subortus est, eique ad præcordia quiddam coacervari videbatur:* καὶ κατὰ τὴν καρδίην ἐδόκεί τι συλλέγεσθαι, αὐτῇ; *& veluti aquæ immersi respirant, ipsa respiravit:* καὶ ἀνέπνεεν ὡς ἐκ τοῦ βεβαπτίσθαι ἀναπνέουσιν, καὶ ἐκ τῆς στήθεος ὑπεψόφεεν, ὥσπερ αἱ ἐγγαστριμυτοὶ λεγόμεναι, τοιοῦτό τι ξυνέβαινε; *& ex pectore levem strepitum sonorum edebat, quemadmodùm ventriloquæ dictæ edere solent; simile quid contingebat.*

Consulens interpretes, *Galenum*, *Hollerium*, *Duretum*, *Prosperum Martialem*, *Foësium*, *Charterium*, aut nihil, aut parum admodùm inveni, quod textum hunc clariore in luce quàm per se est collocaret. *Charterius*, magisque eo *Foësius*, delectarunt se textum, non ut ego verbo tenus in latium transferendo, sed paraphrasi ad sensum magicum referendo;

ſic ut qui græcum textum aut ignorant, aut non conſulunt, concludere debeant *Hippocratem* ſuas ventriloquas dixiſſe fatidicas mulieres, quæ *pythone* afflatæ, ventre oracula fundunt. *Galenus*, qui in ſuo exemplari non *ventriloquas*, ſed *ventriloquos* legit, ſimpliciter eos ſic vocari ſcribit, qui ore concluſo loquantur, eò quòd videantur ventre ſonum edere, & loqui. Inclytus *Haller* in ſuo *Hippocrate*, ut *Galenus*, *ventriloquos*, non *ventriloquas* reddidit, cæterum textum ſimpliciter tradidit. *Foëſius*, *Charterius*, pulchrum meum *Aldinum* exemplar, in græco *ventriloquas* habent.

His verò miſſis, ad textum interpretibus non egemus, quem practicæ obſervationes mihi clarè explicuerunt. Duo *Hippocrates* dixit: primò *Polemarchi* conjugem reſpiraſſe, velut illi qui in aquam demerſi ſunt reſpirare ſolent: ſecundò, eam ex pectore levem ſtrepitum ſonorum edidiſſe, quemadmodùm *ventriloquæ* dictæ edere ſolent.

Porrò cauſam utriuſque hujus phænomeni claram *Hippocrates* reddidit. Anginâ hæc mulier hyeme laborans, ante quintum morbi diem faucibus liberatur; haud bonâ tamen criſi, ſed crudæ atque morboſæ materiei intra humores reſorptu;

undè & notat febrim acutam continuaſſe. Errabunda hæc in humoribus materia, primùm ad genu ſiniſtrum metaſtaſin ſeu tranſmigrationem meditatur moliturque: at verò, ſive ineptitudine loci ad recipiendum, ſive abundantiâ materiæ loci ſuperantis capacitatem, ſedem demùm figit in pulmonibus ſic, ut vox ferè ſuffocetur. In hoc autem conſimilibuſque caſibus, dum ægri volunt loqui, vocem audivit *Hippocrates*, vocem & nos aliquandò audivimus, veluti imo de ventre prodeuntem, qualem & ille, & ego, & mecum multi, ab hominibus poſt ſubmerſionem loquentibus edi deprehendimus. Quantùm ego judicare & concludere in hominibus ſubmerſis potui, haud ipſo in ventre, ſed in pulmone formatur tunc ſonus; quandò ſcilicet aër, ſive inter copioſam materiem quæ de oppreſſo pulmone continuò in ejus cavum aëreum tranſſudat, ſive cum aquâ quæ ſubiit cavum aëreum pulmonis ſic irretitur, commiſcetur, comprimitur, laxatur, ut ſonorus fiat, editoque expirationis ad loquendum motu, vox jam in pectore formari incepta, cùm exiguo laryngis oriſque adminiculo profundum ingratumque ſonitum edat.

Quod hîc aquam in demerſorum pul-

mones admittam, multos offendere potest, qui eamdem subire pulmonem demergentium negent. Puto verò hoc extra omnem dubitationis aleam me posuisse, per multa mea *Tomo XV Rat. Med.* communicata cum publico experimenta.

Sed aliud hîc notandum est. In impeditâ valdè respiratione per aquam, pus, mucum cavum aëreum opplentem, conatus æger vocem edere, edere quandoque observatur illam *in inspiratione.* Optimè hanc loquendi per inspiratum facultatem notavit vir illustris *Hallerus*, *Tom. III*, *El. Ph. Libr. IX*, *Sect. III*, §. *I*, cùm in singultu, in tussi pertinaciore, ac præcipuè in ventriloquis, hoc manifestum aliquandò esse scribat. Malè igitur negatur vocis per inspirationem possibilitas. Si memet exercere in hâc arte vellem, ventriloquus fierem; edere enim vocem inspirando intelligibilem, debiliorem tamen eâ quàm expirando possum, eamque raucam valdè, citò defatigantem, multoque profundiore origine audituí meo apparentem. Ita ut plures concurrere causæ ventriloquii in demersis ægrotisque possint.

Hoc porrò totum est quod de ventriloquis *Hippocrates* habet, & quod *nostri autoris* sententiam minimè probat. Intel-

lexit medicinæ parens vocem in hoc phænomeno ex profundis, veluti de imo ventre, exaudiri; & quotquot in ejus *libros Epidemicorum* commentati ſunt, ſic intellexerunt. Sic quoque judicarunt qui de *pythiâ Delphicâ* ſcripſerunt, quæ tripodi diductis cruribus inſidens, ventre fatidicum ſpiritum hauriebat, quo mente incitata ac furens oracula edebat. Vide *Ciceronem Libr II, de Div.* Hæc denique mens lexicographorum in vocem ἐγγαστριμύθου eſt, SS. Patrum quoque, & illuſtriorum in ſacrâ Bibliâ commentatorum.

Meretur hîc legi *Spicilegii biblici Tomus II, Alexii Symmachi Mazochii, Metrop. Eccl. Neap. canonici, & in regio gymnaſio Neap. ſacrarum Scripturarum interpretis.* Habetur ibi diſſertatio ſecunda ad illud *Iſaïæ Cap. 38. Sicut pullus hirudinis ſic clamabo, meditabor ut columba.* Caput IV hujus diſſertationis dicatum totum *ventriloquii* explicationi eſt, quod haud alio modo explicari poſſe quàm nunc explicitum a nobis fuit, ex ſacris probat profaniſque ſcriptoribus.

Ergo per omnia conſtitit *eruditi abbatis de la Chapelle* obſervationes per ſe, & pulchras, & ad hiſtoriam naturalem atque politicam utiliſſimas & neceſſarias

esse, ob idque gratias nos ipsi multas debere; at verò nihil ea ad quæstionem de pythone pertinere: cùm exhibeat nobis homines biglossos, qui non ventre aut imo pectore, sed per peculiarem naturæ aptitudinem, artificiosè excultam, aliam præter communem vocem, veluti è longinquo, & a 20, 50, 100, pluribusque abindè passibus oriri visam, fingere queant. Historia quippe, tàm sacra quàm profana, de hominibus iis unicè agit, quibus artificiosè loquentibus, nemo unquam testatus est se ex elatâ ædium templorumque parte, sive ex vicinis montibus, nemoribusque vocem percipere, sed imo de corpore prodeuntem. Si igitur evictum est nihil ad pythonas hanc dissertationem facere, multò minùs ad divinos, ariolos magosque, eam facere spontè consequitur.

Objectio XIX.

Magiæ diabolicæ assertio damnanda ob id est, quòd sacratissimæ religionis fundamenta penitùs subvertat. Et sanè nihil probatu facilius. Miracula volo. Hæc a Deo fiunt, eoque solo, sive per se ipsum, sive per sanctos angelos suos, sive per pios homines, ad sui Evangelii divinitatem evangelizantiumque missionem, tùm post-

modùm ad veritatem doctrinæ orthodoxæ adversus heterodoxam demonstrandam, sanctorumque suorum innocentiam præstantiamque manifestandam. Porrò miraculorum ruit omnis autoritas, si, quemadmodùm tota pars hujus operis prima ponit, & satan ea facit, & cooperatores ministrique ejus incantatores. Jam enim miracula æquè idololatriam quàm verum Dei cultum, æquè impietatem quàm religionem, æquè flagitia quàm virtutes, æquè impiorum quàm piorum, falsorumque prophetarum quàm verorum autoritatem missionemque confirmant.

Responsio.

Palmarium argumentum primâ fronte videri posset, sed propiùs inspectum facilè ruit. Dico itaque *primò:* Si verissima, si demonstratissima ea sunt, quæ magiam admittere nos coëgerunt, falsa eadem reddere ne validissimæ quidem objectiones possunt. Quod semel verum undiquè constitit, verum æternùm manebit. Igitur qui validissimam putant se confecisse objectionem, spontè coguntur in hâc quæstione idem præstare, quod in non paucis aliis quæstionibus, cùm sacris, tùm profanis, laudabilissimâ humilitate præstant, admittendo veritatem, licèt haud ea, quâ

optaſſent perſpicuitate ac facilitate, argumenta contraria reſolvere poſſint.

Secundò. Objectio verum quidem narrat, ſed non omne verum quod narrandum erat; reticet enim veri partem. Agnoſcimus Dei, miracula dicto modo edentis, hanc eſſe voluntatem intentionemque; ſed unà novimus, per multa ſcripturæ Patrumque teſtimonia, Deum judicio vel miſericordiæ, vel juſtitiæ, prævaricatoribus angelis permittere, ut prodigia edant, quæ non angelicas, ſed humanas ſuperent vires. Porrò eſt hæc potentia ſtupenda angelorum, ut toties eamdem jam mirabundi conſpeximus in divinis *Ægyptiis*, in occiſione exercitûs *Aſſyriorum* regis, in Chriſti tentatione, in hiſtoriâ *Simonis*, *Apollonii*, aliorumque magorum: quæ cùm vires humanas multis ſuperent paraſangis, miracula audiunt. Anne *Antichriſtus Matth. XXIV*, ejuſmodi editurus miracula eſt, ut etiam electi, ſi fieri poſſet, ducerentur in errorem? Quàm ſtupenda miracula non prædixit *B. Joannes in Apocalypſi* ab eodem *filio iniquitatis*, ejuſque pſeudo-prophetis perpetranda, ut in errorem orbem ducant univerſum!

Tertiò. Non miracula ſola veritatem Evangelii demonſtrant, ſed & ipſius evan-

gelicæ doctrinæ admirabilitas, atque præstantia præ philosophorum vel æstumatissimorum placitis, & vita sincera, divinaque, non unius, paucorumve, sed millenorum Christianorum primi ævi in regionibus singulis urbibusque. Hæc omnia sic præmuniverant Christianorum animos contra pseudo-prophetarum miracula, ut angelo de cœlo aliud Evangelium fortè, ac per impossibile annuntianti, anathema dixissent omnes. *Epist. ad Gal. Cap. I.* Qui demùm in Ecclesiâ ætate grandiore miracula videbant, eò magis in verâ fide confirmabantur; cùm præter hæc quæ miraculis pondus addidisse mox diximus, etiam hæc miracula in eâ fidelium societate fieri viderent, quæ miraculis condita, miraculis aucta esset.

Ut autem totum hoc negotium breviter expediam, duces sequar cum *Guillielmum Estium Duacensis* universitatis sæculo XVI cancellarium, virum maximâ profectò ob doctrinam pietatemque in rebus theologicis autoritate pollentem; quem sibi sequendum quoque *Sennertus* noster in hâc quæstione proponebat: tùm *Petrum Mariam Gazzaniga*, è prædicatorum ordine SS. theologiæ in *Viennensi* universitate professorem Cæsareo-regium, ejusdemque universitatis verum

lumen atque ornamentum, in tractatu *de Fide, Spe* & *Caritate, Parte I, de Fide. Diss. I, Cap. IV, V & VI.*

Miracula igitur dividam in ea quæ contra naturam, in ea quæ supra naturam, & in ea quæ præter naturam fiunt. Miracula quæ *contra naturam* sunt, vocantur illa quæ naturæ legibus opponuntur, ut est statio in medio suo cursu regressusque solis, *Josuæ* & *Ezechiæ* temporibus, futurorum notitia atque prædictio. Miracula *supra naturam* illa appellantur quæ, non opposita quidem naturæ legibus sunt, ejusdem vires tamen superant, ut exsuscitatio mortuorum est. Si natura per se, aut medici, adstantesve, hominem in syncope jam mortem vultu, frigore, pulsuque referentem exsuscitant, non superant naturæ leges; sin verò verum mortuum exsuscitent, has leges superant: nulla natura agere hîc ampliùs potest. Tandem miracula *præter naturam* dicuntur, quæ differunt modo, vel tempore agendi. Si medici curant hominem a febre continuâ putridâ dierum 14 spatio, agunt secundùm consuetas naturæ leges; sin autem ictu citiùs, curatio hæc præter naturam est. Hominem deferri a loco in locum, hominum, jumentorum, navium, artificiosorum ac mechanicè constructorum

currûum

currûum ope, secundum leges naturæ omninò est; eumdem verò in decimâ diei parte itinere multorum dierum transferri, præter naturam est. Juxta naturæ leges homines multam faciunt atmosphæræ mutationem, in eamdemque operationem, purificando eam a miasmate pestifero, quo artificio pestem *Hippocrates* a suâ patriâ amovit, rogis ingentibus in montium hiatu, quo pestifer aër in *Græciam* transvehi potuisset, accensis: quo iterùm artificio electricitatis gnari fulmina in ædes convocare, ab iisdemque amovere sciunt. Hæc, inquam, & centena similia horum, secundùm naturam faciunt; minimè verò secundùm naturam agunt, qui ad determinatum tempus, in determinatum locum, ad determinatam quantitatem, in ventos, inque pluvias grandinesve atmosphæram disponant, ut per tot exempla summæ fidei autores demonstrarunt, quorum in fine *Partis I*, *Cap. III*, memini; quorumque testimonia communicassem, si, ut ibidem monui, eadem jussis de causis non suppressissem.

Primum miraculorum genus nulla, neque humana, neque angelica potestas edere potest. Non enim *Josue*, sed ad hujus vota Deus sistebat solem. Futura solus Deus novit prædicitque. Undè &

hoc contra naturæ leges. Ita *Isaïas XLI* zelosus sui honoris Deus alloquitur falsos prophetas, idola, & per illa loquentem satanam, veluti cum illis coram judice quopiam litigans: *Propè facite judicium vestrum, dicit Dominus: afferte, si quid fortè habetis, dixit rex Jacob. Accedant & nuncient nobis quæcumque ventura sunt: priora quæ fuerunt nunciate, & ponemus cor nostrum, & sciemus novissima eorum, & quæ ventura sunt indicate nobis. Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus quia dii estis vos: benè quoque aut malè, si potestis, facite, & loquamur, & videamus simul.* Soli itaque Deo futura patent, & creatorum entium si cuiquam pateant, contra eorum naturam est, eo unico ipsi revelante, qui solus novit.

Revelavit autem futura Deus, *primò* sanctis suis per omnia sæcula prophetis, apostolis, nonnullis ex primis Christianis, & quibusdam posteriorum sæculorum sanctis. *Secundò*, revelare futura ipsi placuit etiam hominibus de quibus verine fuerint, an falsi prophetæ dubium est, ut avaritiâ ducto *Balaam*, & ut illis de quibus *Matth. VII. Multi mihi dicent in illâ die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? & in nomine tuo dæmonia ejecimus? & in nomine tuo mul-*

tas virtutes fecimus ? Et tunc confitebor illis : quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. Tertiò, cùm etiam indubitatissimis exemplis constet diabolum per magos futura prædixisse, & cùm futura nemo nisi Deus noscat, concludere indè oportet Deo in adorandis judiciis suis placuisse, ut nonnunquam futura spiritibus immundis revelaret. In secundâ miraculorum specie resurrectio mortuorum Dei solius est opus : undè quæritur an, quæ legitur a magis facta mortuorum exsuscitatio sit quoque, ut futurorum notio, a Deo, in fines ipsi soli notos, dæmoniis concessa ?

Potuisse Deum hoc facere certum est; rariùs autem fecisse ex magicâ historiâ concludo. Quandò *Part. I*, *Cap. III*, §. *II*, historiam *Apollonii Thyanæi* agitabam & mortis puellæ quam suscitasse dicebatur hic magus, dubium, hærentem *Fleuryum* considerabam, eò quòd vaporem de corpore exhalasse, antequam ad id accederet *Apollonius*, nonnulli opinarentur; quæ ratio cùm non videbatur valere, promisi me in hâc ipsâ *Parte II* casum repetiturum. Promissis stabo. Ne verò in longius sermo protrahatur, lectores meos peto, ut, quæ in *Rat. Med. parte XIII*, sub finem experimenta col-

legi, adeant, ibidemque videant quoties contigerit ut homines per horas, per integrum, imò per alterum tertiumque diem verè mortui visi, postliminio vixerint : ut proindè evictum id esse videatur, quod vita per tantum temporis spatium penitùs evanida extinctaque appareat, ac nihilominùs & adsit, & ressuscitetur. Igitur callidissimus dæmon, angelico suo intellectu, eum hominum immensè superante, vidisse potuit eo in corpore relictas superstitis vitæ scintillas, & cum movendis humoribus sit, eosdem in motum duxisse, quo tempore adduceret *Apollonium;* ut eo veluti miraculo vim miraculorum quæ in sanctissimæ Religionis augmentum Christiani, Dei virtute, faciebant, obscuraret enervaretque. Sic omnia gentilium, hæreticorum ac magorum hujus generis miracula dicta explicari posse censeo, ut necesse ferè nunquam sit illis eam supra omnem naturæ potestatem a Deo peculiariter concessam, concedere.

Ut igitur quod de hoc secundo miraculorum genere censendum sit paucis dicamus; Deus mortuos in vitam exsuscitavit solus, ut in novissimo die omnes, a mundo condito eòusque mortuos, exsuscitaturus est, & quemadmodùm Uni-

genitum ſuum, noſtrî amore mortuum, die tertio reſſuſcitavit. Hanc tamen poteſtatem per prophetas, apoſtolos, viroſque ſanctos exercuit aliquandò. Rarò verò conſtitit Deum eam virtutem dæmonibus conceſſiſſe; *Rarò* dico, cùm textus *Deuteron. XVIII*, & *I Samuelis*, ſive *Regum Cap. XXVIII*, hanc poteſtatem a Deo ipſis aliquandò conceſſam fuiſſe, eruditorum non ſanè paucis ferè perſuaſerint. Vide quæ hâc de re ſcripſi *Part. I*, *Cap. I*, §. *IV & V.*

De tertio miraculorum genere ſufficienter ſupra dixi. Dubium autem ſæpè fit, utrum quod præter naturam fieri dicitur, non ſit quoque ſupra eamdem, veluti ea quæ de ventis tempeſtatibuſque excitandis ibidem relata ſunt?

Undè fortè miracula commodè dividi in ea poſſe videntur, quæ vel humanas vires exſuperent, haud verò angelicas; vel quæ humanam ſuperent angelicamque poteſtatem. Ultima ergo hæc contra omnes naturæ leges ab eo fiunt, quia haſce naturæ leges condidit ſic, ut, cùm infinitus ſit, eaſdem pro voluntate mille mutare modis poſſit: ita ut hæc miracula contra eas naturæ leges ſint, quas eòuſque Deus, quandiu illas conſervatas volebat, in creatarum rerum ordine

atque conſervatione obſervabat. Quæ ſupra naturam humanam, non verò ſupra angelicam poteſtatem miracula ſunt, hæc aut per ſe, aut per homines, aut per res creatas quaſcumque angeli patrant. Quæ per præternaturalem poteſtatem homines faciunt, ea vel bonorum malorumve angelorum adjumento faciunt, vel independenter ab utriſque, ſolâ Dei voluntate ac virtute. Quocumque verò modo perpetrat miraculum homo, non perpetrat id, niſi vel Deo citra miniſterium angelorum quorumcumque hoc per illum edente, vel per angelos bonos id per eum efficiente, vel per angelos pravos id in eo permittente. Undè conſequitur id, ut magi & ſagæ per ſe nihil, unicè verò id efficere queant quod vocare miraculum ſolemus, ſi Deus juſto ſuo judicio id aut concedat, aut permittat; ita quidem ut miraculoſum ab illis fiat nihil, ſi Deus neque illis poteſtatem hanc dederit, neque diabolo, ut hæc per illos edat, conceſſerit.

Cauſam ſic capimus cur ſagæ toties confeſſi in carcere fuerint ſibi aliquandò contigiſſe, ut ex viginti vicibus vix bis terve promiſſis ſatanas ſteterit: hoc autem, cùm ipſis ſæpiùs ex ejus fallaciâ contingat, quo eas ſibi addictiores red-

dat, atque ad nefanda magis flagitia priùs cogat, sæpiùs tamen fieri videtur, eò quòd summus noster protector hostem illum nostrum, ne nobis, nostrisque aut familiis, aut facultatibus noceat, planè impediat, humillimis maximè precibus invocatus; quemadmodùm hæc omnia *Psalmo XC* nobis promisit. Facit tunc Omnipotens id quod spoponderat aliâ occasione *Isaïæ XCIV, v. 25. Irrita faciens signa divinorum, & ariolos in furorem vertens*, quod sua signa frustrà posuerint.



PARS III.

Cap. I.

Elucidatio quorumdam quæ primâ & secundâ parte dicta sunt : undè quid, auditâ utrâque parte, tutò credendum sit spontè patet.

Longa fuit argumentorum utriusque dissentientium circa magiam partis discussio, difficultatumque explicatio : verùm merebatur tanti momenti res, ut plenâ in luce collocaretur, atque utrùm neganda, an admittenda ars magica esset, medicis de eâdem consultis constaret.

Hunc in finem *Pars prima* in suo *primo Capite* dabat textûum sacrorum Bibliorum examen, qui *ex Vulgatâ editione* prolati, & cum fontibus cùm *hebraïcis*, tùm *græcis* collati, magiam ut artem præceptore angelo prævaricatore edoctam, eodemque promotore cultam & provectam clarè proponere videbantur. *Caput II* examinabat Historiam ecclesiasticam Ecclesiæ consuetudinem & ritus, sanctorumque patrum ac summorum

theologorum doctrinam ; quæ itidem nos magiam, quâ talem ab universâ Ecclesiâ perpetuò habitam fuisse convicit.

Duo hæc, quamvis sufficere ad omnem, aut errantem, aut hæsitantem animam illustrandam firmandamque viderentur, ne quid tamen necessariæ demonstrationi deesset, *Caput III* indubia experimenta collegit, quæ vel incredulissimos convincant magiam diabolicam reverà extare, demonstrarique talem, qualem & Scripturarum infallibilitas, & Ecclesiæ huic infallibilitati innixa doctrina, consuetudoque nos docuerant.

Confectum itaque negotium primâ fronte videbatur ; propiùs tamen consideratum, necdùm confectum erat ; non quòd sufficienter necdùm inclaruisset quod ejusmodi validis superstructum fundamentis esset, ut his innixi, in nullis difficultatibus hæsitemus ; verùm quòd negantium magiam argumenta tantum pondus multis habere viderentur, ut quæ nos in primâ parte demonstrata censueramus, hoc illi vel alio modo explicandum, vel dubium, vel denique falsum esse arbitrarentur.

Benène hi ? Non opinor. Vel constabat ex sacrâ Scripturâ & Traditione magiam veram dari, vel non constabat. Si

non constabat, debuissent hîc agnoscere, quod aliis in rebus spontè facere consuëverunt, difficultates in rem semel demonstratam minimè ejusdem tollere veritatem. Accuratiùs ergo erat illis, difficultatum suarum pondere permotis, doctrina biblica & ecclesiastica examinanda, ut, num tanta autoritas totque experimenta suis non præponderarent difficultatibus intelligerent? Hâc verò in parte defuerunt. Obruti objectionum suarum pondere, earum verisimilitudine obfuscati, reique stupendæ veluti impossibilitate moti, sententias sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum Ecclesiæque modificandas esse limitandasque crediderunt, per nonnullos eorumdem ipsorum textus, qui obscuriores in se, aliam Scripturæ traditionisque mentem fuisse, videbantur innuere. Idque magis, quòd imposturas adeò nefarias, adeò etiam enodatione difficiles, easque numerosissimas detexissent, ut magiam omnem negandam cuique physico esse decernerent.

Jam verò quid de sanctarum Scripturarum irrefragabili testimonio? Alii, ut mox monui, ratiociniis nonnullis, & textibus minùs claris, hæc testimonia debilitarunt: alii hoc & impermissum & impossibile rati, magiam usque ad natum

Servatorem admiſêre, eo vero nato negare illam ſe tutò poſſe crediderunt. Patuit hoc in hiſtoriâ magiæ, paucis abhinc annis agitatæ in *Italiâ*.

Erratum verò ab utrâque parte fuit. Qui magiam veram admittunt ad uſque tempora Chriſti, a magiam omnem negantibus facilè refutantur: cùm, ſi eamdem olim exiſtentem concedant, nullum habeant argumentum negandi præſentem. Quidquid enim de ſacrâ Scripturâ, veluti cum ærâ chriſtianâ omnem magiam terminante protulerint, v. g. ex B. Joannis Epiſt. I, Cap. III. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*: Ex B. Pauli Epiſt. ad Coloſſ. Cap. II, v. 15. *Expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in ſemetipſo*: ad Corinthios Epiſt. I, Cap. XV. *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem*: Et Joan. XII, v. 31. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foràs*. Quidquid, inquam, hi ex ejuſmodi textibus, ut magiam antè natum Servatorem quidem exiſtentem, ab ejuſdem verò ortu extinctam arguunt, quandoquidem Eccleſia hoſce textus, & de gratiâ novi Teſtamenti animas à diaboli tyrannide liberante, & de tradito regno

Deo Patri poſt generalem reſurrectionem ſemper intellexit, minùs æquè eoſdem ſecundum ſuum ſyſtema explicuerunt. Undè cùm ſingula hæc Scripturæ verba nihil de magiâ, tanquam ad novum Teſtamentum extinctâ teſtentur, magiæ inficiatores rectè concludunt, illos qui ante Chriſtum natum magiam agnoſcunt, nullo argumento eamdem poſt Chriſtum natum negare poſſe.

E contrariò qui nunquam eam extitiſſe volunt, impingunt undique in ſacras paginas; a quâ difficultate expedire ſeſe conabantur priores. Quum itaque adversùm hos universa Biblia ſacra pugnent, cùm Eccleſiæ ritus, cùm Patres antiquiſſimi, *Juſtinus*, *Tertullianus*, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, &c. veram magiam dari docuerint, quo demùm pacto defendere hi ſuam cogitent opinionem?

Indignum quidem Deo eſſe arbitrantur, qui per ſe gubernat omnia, ſuoſque in fines dirigit, hominum animas, corporaque, ventos, pluvias, grandines, tonitru, fulgur, telluris pecorumque ſive ſterilitatem, ſive fœcunditatem, quod ille ad voluntatem ſuam ſuaque judicia perficiunda diaboli operâ uti vellet. *Quæ enim participatio juſtitiæ, cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ*

autem convenientia Christi ad Belial? II. Cor. VI.

Respondemus Deum omnipotentem, omnium quæ fiunt in cœlo & in terrâ autorem & arbitrum, ad exequenda adoranda sua judicia nullius indigentem auxilio, velle tamen sæpè angelorum hominumque ope uti; quemadmodùm id tota Scriptura sacra centenis in locis ostendit. Potuerat omnipotens solâ suâ voluntate delere exercitum *regis Assyriorum*; uti voluit angeli ope. Potuerat solus servare in tempus a suâ adorandâ providentiâ præfinitum, omnia regna; placuit ipsi iis singulis, ut apud *Danielem* legimus, angelum præficere custodem. Potuerat universum orbem Evangelio per se subjicere, fidem infundendo in corda hominum; placuit verò illi interiorem divini hujus doni distributionem exteriori apostolorum apostolicorumque virorum ministerio, ut ita dicam, alligare. Nihil Deo indignum hîc video.

Saltem Deo indignum foret, aiunt, si ad voluntates suas exequendas diabolorum & iniquorum hominum operâ uteretur. Usus est *Judâ proditore*, veluti *Petro*, *Andræâ*, *Jacobo*, ad prædicandum regnum Dei civitatibus *Judææ* faciendaque miracula; iniquissimo *Balaam*, &

pontifice *Caïphâ* usus est, ut *Eliâ*, *Elisæo*, *Isaïâ*, *Daniele*, ad summa arcana & mysteria redemptionis hominibus revelanda. Et, ut de diabolo exempla afferam, cur ille, qui per se *spiritum principibus aufert*, qui per se *Achitophelis* consilium, petente *Davide*, infatuavit, diaboli tamen operâ uti voluit, ut hîc *III Reg. Cap. XXII*, ore pseudo-prophetarum *Achab*, regem *Israëlis* ad pugnam incitaret. Prætereà numquid Deus, ostensurus nihil unquam posse hominem a virtute dimovere quem ipse suo potenti brachio protegat, uti non voluit pravâ satanæ voluntate, permittens illi ut totis viribus tentaret, ac variis violentisque modis excruciaret sanctum virum *Jobum*, cujus tamen admirabilem patientiam, ipsemet, si voluisset, potuisset iisdem calamitatibus, solo nutu voluntatis suæ in eum immissis, probare, ac notam omnibus facere?

Ex *Job* autem Libro parùm probari posse contendunt, utpotè sic mystico & parabolico, ut nunquam extitisse *Jobum* credibile sit.

Novi, mirorque, inter Christianos esse, quibus hoc quorumdam *Rabbinorum* commentum placeat. Et vetus Testamentum, & novum, temerarium ac mendax

hoc oſtendit. Apud *Ezechielem Cap. XIV*, *v. 14.* Deus dicit : *Si fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noë, Daniel & Job : ipſi juſtitiâ ſuâ liberabunt animas ſuas ; v. 16. Tres viri iſti ſi fuerint in eâ, vivo ego dicit Dominus ! quia nec filios nec filias liberabunt, ſed ipſi ſoli liberabuntur.* Idem v. 18, repetit. Iterùm v. 20. *Et ſi Noë, Daniel & Job, fuerint in medio ejus*, &c. Ergo *Job* extitit ; alioqui eodem jure dicere quis poſſet Librum *Geneſeos*, prophetias *Ezechielis* ac *Danielis* myſticos ac parabolicos libros eſſe, quorum Heroes nunquam extitiſſent. Maximè verò hùc facit textus ex *Epiſt. B. Jacobi, Cap. V*, *v. 10 & 11. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Extitit ergo *Job*, vir tolerantiâ malorum inclytus, ſicuti extitêre *prophetæ*, ſicuti extitit ipſe *Chriſtus.*

Quid jam reſpondendum magiæ negantibus poſſibilitatem ?

Poteſtates, virtutes, principatus, dominationes, throni, angeli & archangeli, vocantur in ſacris angeli haud boni duntaxat, ſed pravi, ut mox ex *Epiſt. ad Coloſſ.* patuit, & ut *Paulus Eph. VI* repe-

tit: *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum*, gr. πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου. Titulus ſummorum imperatorum. *Contra ſummos imperatores tenebricoſi hujus mundi, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, in cœleſtibus, vel in ſupracœleſtibus. Sunt ergo angeli prævaricatores principes ſummique imperatores hujus corrupti & excæcati mundi, contra quos divina armatura, jubente apoſtolo, induenda eſt. Nequeo quin hîc autorem laudem, qui ſanctorum patrum in hunc textum commentarium paucis verbis comprehendit, ſapientiſſimum ac maximè pium *Du Guet*, *Libr. de J. C. crucif. Part. II, Cap. VI.* « Peccatum haud penitùs dejecit ſpiri» tualem apoſtatæ angeli naturam: in ma» lum tantummodò convertit ſuas, qui» bus donatus fuerat, naturales qualita» tes; ſcilicet intellectum, penetratio» nem, activitatem, mediorum cùm no» titiam, tùm uſum: & in artificia, im» poſturas, illuſiones lædendo homini » aptas, lumen ac ſapientiam naturalem,

» usu sineque convertit. » Meretur legi integrum hujus autoris *Caput VI*, quod optimè totam hanc veritatem illustrat.

Profectò quàm potens angelus, qui unâ nocte *Assyriorum* 185000 unus interfecit! Quantam potestatem possidet ille summus imperator tenebricosi hujus sæculi, in historiâ *Job*, ad latrones raptoresque colligendos, ad evocandum è cœlo ignem, ad ventos in ædium hominumque ruinam a regione deserti convocandos, horrendosque morbos humano generi inferendos! Frustrane κοσμοκράτορες appellavit dæmones apostolus?

Ut ergo rem paucis dicam, duo scopuli evitandi hîc nobis sunt: primò, ne satanæ aut modicam, nullamve, secundò, ne illi nimiam tribuamus potestatem. *Erroneum* utrumque ac *periculosum* est. Erramus enim ejus negando potestatem quam sacra Biblia nobis adeò formidabilem describunt: & conjicimus nos ipsi in periculum magnum a sanctâ fide naufragandi. Appello hîc ad laudatum mox autorem *Du Guet*, qui postquam illos, qui naturalibus potiùs causis quàm dæmoni, dæmoniacorum phænomena adscribere malint, corripuisset, in hæc verba erumpit: « Ejusmodi errores, si eo fervore » propugnarentur, ut converterentur in

» dogma, ſique in extremas conſequen-
» tias promoverentur, parùm a manifeſtâ
» infidelitate differrent. Licet verò malim
» eoſdem tanquam nubes, & dubia fi-
» dem obnubilantes conſiderare, quàm
» ut fidei adverſas hæreſes, abeſſe tamen
» nequeo, quin eoſdem reputem veluti
» ſervatoris noſtri reportatæ de diabolo
» victoriæ injurioſos, &c. »

Quandò è contrario ampliaverit quis ejus dominium ac potentiam, pariter ille in errorem & periculum, alio prorsùm modo quàm prior, conjicit ſe. A regulâ fidei æquè ſeceditur tùm quandò minùs, tùm quandò plus quàm illa proponit, creditur. Intellectus limitatiſſimus noſter non facit, non creat fidem, ſed fides intellectum captivat, imponens raciocinio cuicumque ſilentium. Fide novimus ſpiritus immundos magnâ quidem poteſtate pollere, verùm à Deo limitatâ. Ut mari, ut creaturis reliquis, ita pravo angelo dixit: *Hucuſque pervenies.* Non potuit erga *Job* vel minimum greſſum, Deo non permittente, facere; omnemque plagarum ac tentationum progreſſum, non niſi Deo ſingulum permittente, facere potuit. Hinc per Dei invocationem toties ejus retuſam malitiam in Hiſtoriâ ſacrâ legimus. In omnibus ferè *Pſalmis*

ejuſmodi invocationes preceſque invenimus; præcipuè autem in *Pſalmo XC qui* apud *Hebræos XCI* eſt.

Sed dixi errorem *periculoſum* eſſe, ſi quis, diabolicâ poteſtate ex ſacris intellectâ, eò inducatur ad majorem a ſatanâ formidinem, quàm ad debitam in Deum fiduciam. Nihil cogitari poteſt Deo injurioſius. Periculorum nos circumdantium certiores Deus nos voluit, ut in majorem erga ſe fidem fiduciamque erigeret, in ardentiorem ipſius amorem, qui inter tanta pericula, quæ nobis peccatum conſcivit, ſalvos ad cœleſtia ducit. Qui benè de eo convictus eſt, quod laudatus mox *XC Pſalmus* docet, fidenter, cum ſervatore dicit: *Venit princeps mundi hujus*, *& in me*, quem Deus protegit, *non habet quidquam.* Qui ſibi metuunt, videant num cauſam fortè habeant metuendi, conſulantque angelum *Raphaëlem Tobiæ Cap. VI.* juniori Tobiæ, occidi a diabolo, ut jam ſeptem juvenibus ante ſe contigerat metuenti, reſpondentem: *Audi me*, *& oſtendam tibi*, *qui ſunt quibus prævalere poteſt dæmonium.* Erimus contra eum muniti per *armaturam* Dei, ex Epiſtolæ *Pauli ad Epheſios Cap. VI* panopliâ quærendam. Verbo nihil ſupereſt niſi ut Deum precemur gratiam implendi præcepti,

quod nobis calamo *B. Petri* dedit : *Fratres, ſobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret : cui reſiſtite fortes in fide ; ſcientes eamdem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri.* 1 Pet. Cap. V.

Finem huic Capiti imponat vir incomparabilis *J. B. Boſſuet*, cujus autoritas in rebus quæ ad religionem pertinent eò major eſſe debet, quò diligentiorem ab ipſo operam poſitam fuiſſe, cùm in perſcrutando, tùm in exponendo Eccleſiæ ſenſu, non privati ſolùm theologi, ſed ipſimet præcipui Eccleſiæ antiſtites, in ſuis paſtoralibus inſtitutionibus luculentiſſimè teſtantur. Is igitur in libro cui titulus *Elévations à Dieu ſur les myſteres, Tom. II, Sem. XXIII. Elev. V*, cui titulus : *De Dæmonis in genus humanum poteſtate*, oſtendit Deum « angelos creando, quemadmodùm eos ſui intellectûs » participes fecerat, eos quoque ſuæ compotes feciſſe poteſtatis. Deus ſubjiciens » illos ſuæ voluntati, decrevit, ad ſervandum in mundo ordinem, ut naturæ » corporeæ atque inferiores, iis ſpirituum » ſubjicerentur, juxta præſcriptos his ab » illo terminos. Suo proindè modo mundus ſenſualis mundo ſpirituali, atque in-

» tellectuali subjectus fuit, pactumque
» hoc Deus cum corporeâ naturâ fecit,
» ut voluntate angelorum moveretur,
» quantùm hæc angelorum voluntas, in
» hoc cum voluntate Dei conformis,
» eamdem ad certos effectus finesve de-
» terminaret.

» Statuamus igitur Deum, omnis cor-
» poreæ naturæ motorem supremum, sive
» movere illam, sive determinato in spa-
» tio continere ad angelorum volunta-
» tem. Spiritûum beatorum nonnulli *vir-*
» *tutes* appellantur, de quibus legitur :
» *Benedicite Domino omnes angeli ejus,*
» *potentes virtute, facientes verbum illius,*
» *ad audiendam vocem sermonum ejus.*
» Benedicite Domino, omnes vos quos
» *virtutes* suas sive *potestates* appellat.
» *Ps. CII.* Et : *Laudate eum omnes angeli*
» *ejus ; laudate eum omnes virtutes ejus.*
» Ps. CXLVIII. De his *virtutibus* vel
» *potestatibus* fortè sermo est, dum *Jobi*
» *Cap. IX* dicitur : *Deus, sub quo cur-*
» *vantur, qui portant orbem.* Quidquid
» demùm sit, per omnia hæc quamdam
» potestatis speciem naturæ spiritualis su-
» pra corpoream naturam agnoscimus.

» Quantoperè autem virtus angelo-
» rum virtuti hominum belluarumque
» præstet, quantùmque ipsis dominari

» Dei ordinatione possit, ostendit Deus;
» quandò vel unius angelus cunctos ho-
» minum atque animalium primogenitos
» in universâ *Ægypto* occideret, *Exod.*
» *XI*, *XII*; & quandò unicus angelus
» tantam stragem unâ nocte in regis *Sen-*
» *nacherib*, Jerusalem obsidentis, exer-
» citu ederet. *IV. Reg. XIX.*

» Quæri hîc posset an prævaricatori-
» bus damnatisque angelis eamdem Deus
» conservet, quam fidelibus beatisque an-
» gelis potestatem? Quæstionem deci-
» dit Apostolus, qui Christianos ad re-
» sistendum tentationibus adhortaturus,
» eosdem monet *non esse colluctandum cum*
» *carne & sanguine*, *sed adversus princi-*
» *pes & potestates*, quas, ratione origi-
» nis, adhuc *virtutes cœlestes*, de cœlo
» licèt jam præcipitatas, appellat; ut os-
» tendat angelos damnatos adhucdum
» æquè potestatem, quàm nomen, qui-
» bus a naturâ gaudebant, possidere. Nec
» miretur hoc quisquam: quandoquidem
» Deus, qui cunctis quas a naturâ pos-
» sidebant prærogativis privare illos po-
» tuisset, id præstare judicavit, ut, con-
» servatis his, ostenderet omnem natu-
» ræ prærogativam his, qui contra Deum
» iisdem abutantur, in supplicium verti.
» Servatus itaque illis intellectus est,

» æquè quàm olim penetrans, ſublimiſ-
» que : eamdemque ob cauſam manſit vis
» eadem movendorum corporum volun-
» tatis, veluti reliquiæ horrendi ipſorum
» naufragii.

» Si interìm quis regerat id haud ita
» videri, cùm vis voluntatis pravorum
» angelorum olim indè orta fuiſſet, quod
» voluntas illorum eſſet cum voluntate
» Dei planè conformis, jam verò illi ad-
» verſa : hic obliviſci videtur Deum iiſ-
» dem adhuc uti, ut juſtitiæ ſuæ miniſ-
» tris, velle : in eoque conformis perpe-
» tuò eorum erit cum divinâ voluntate
» voluntas; quia pravâ ſuâ voluntate idem
» efficient, quod bonâ ſemper voluntate
» efficit Deus.

» Prævaricatoribus itaque angelis præ-
» rogativæ naturales conſervantur in ſup-
» plicium. Deus ipſis omne in mala ver-
» tit. Et cùm naturalis illorum nobilitas
» in faſtum vertatur, intellectus in aſtu-
» tiam, atque voluntas in calliditatem
» ac zelotypiam, ſimul & ſuperbi facti
» ſunt, impoſtores, invidi, & hâc ſuâ
» conditione miſerabili ad lugubre ten-
» tandorum hominum officium redacti.
» Sic ut poſt eam, quâ olim fideles frue-
» bantur, felicitatem, illis nihil ſuper-
» ſit niſi latens id malitioſumque gau-

» dium, quo flagitiosi in faciundis com-
» plicibus, quo infortunati in comparan-
» dis sibi infortunii sociis, exultare so-
» lent. Voluit porrò Deus ut hinc disce-
» remus quòusque facultatem naturæ, &
» facultates penetrantis ingenii potestatis-
» que existimare debeamus : facultates,
» inquam, quæ dæmonibus superstites,
» nihil minùs infelices odiososque eos-
» dem reddunt.

» Potestas autem illorum post lapsum
» hominem, qui sic in illorum manci-
» pium redactus est, aucta potiùs quàm
» imminuta fuit. Principio homines red-
» diderat Deus angelis *nonnihil* subjec-
» tos : *Minuisti eum paulò minùs ab an-*
» *gelis. Ps. VIII.* Diabolus autem homi-
» nis lapsu, quo vicit illum, ejusdem
» factus tyrannus est, nosque, ut *Joan.*
» *VIII*, Servator, ait, diaboli filii, ven-
» ditique huic tyranno servi : sic ut nos
» ab ejus servitute non modò nos libe-
» rare non possimus, verùm etiam ne
» quidem ex nostris solis viribus vel tan-
» tillùm conari, quo ex hâc servitute libe-
» remur ; ita ut J. C. dæmonem princi-
» pem hujus mundi appellaverit, *Joan.*
» *XII*, *v. 14, 16.* »

Explicat deindè *Bossuetus* potentiam diaboli in tentatione ipsius Filii Dei, in positione

poſitione ſanctiſſimi ejus corporis in pinnaculum templi, inque montis faſtigium : poteſtatem deindè in tentandis hominibus, quos meritò monet cautos eſſe oportere, ne ſuggeſtum ab illo peccatum in delectationem, multò minùs in conſenſum abeat ; « cùm, inquit, ſi diabolus » poteſt, ut potuit, corpora movere, ſi » jam ad delectationem corporis mo- » veat humores, in quam horrendam tunc » non conjicimur tempeſtatem ! » Denique omnes Chriſtianos erigit in ſpem ſuperandi ſatanam per ipſa ea arma, quæ & tentatus Servator, & tentati apoſtoli, virique ſancti ſuggeſſerunt. Qui ampliorem explicationem de dæmonum naturâ, lapſu ac poteſtate deſiderant, legant *Boſſueti Serm. I & II, in Dom. I. Quadrag. pag. 81, Vol. V, edit. novæ oper. Paris. 1772, in-4°.* Atque iiſdem penè verbis, quo *Boſſuetus*, explicuit totam hanc quæſtionem *Eſtius in Libr. II, Sent. Diſtinct. VII, §. XVI.*

Paucis itaque concludam, & veriùs eſſe nihil dicam, quàm quod vera magia detur, eò quòd omnis ſacra & profana Hiſtoria, omnis divina & humana autoritas, tandem experimenta indubia, quâvis, aut exceptione, aut dubitatione majora, me exiſtentem hanc diabolicam

artem docent, & demonstrant sic, ut jure negare eamdem nequeam.

TERTIÆ PARTIS
CAP. II.

Quàm prudenter & circonspectè audito magiæ rumore, incedere oporteat: & an signa dentur quibus magiam veram a suppositâ internoscere possimus? Sapientissima Estii *monita.* Spei *declamatio de judicum furore in homines de magiâ falsò plerumque accusatos.*

§. I. QUEMADMODUM *Parte XV. Rat. Med.* per omnem autoritatem demonstratâ hominum a dæmone obsessione, cavendum esse monui, ne quidquid eo nomine perhibetur, mox verè tale esse credamus, eò quòd longè plures falsò, quàm verè obsessi haberentur; idem a me moneri mei lectores procul dubio hîc expectabunt. Utinam æquè certa & conspicua, utinam æquè felicia forent magiam veram a falsâ distinguendi signa, quam ea quæ tradidi, ex propriâ experientiâ, veram a falsâ obsessione discriminandi! Quidquid tamen in difficili obscuroque hoc negotio aut certitudine, aut

verisimilitudine, nosse hîc possimus, diligenter enumerabo.

Antequam verò ad hanc regularum recensionem me accingam, nonnulla ex laudato jam sæpiùs in hoc opusculo *Van Espen*, tanquam dicendorum fundamentum, præmittam, in Libro ante citato §. XLIII.

« Indubitatum est summâ prudentiâ & » circonspectione hîc procedendum esse, » cùm certum sit multa frequenter magicis » & diabolicis artibus adscribi, atque ex » commercio diabolico perpetrari existi» mari, quæ naturales causas habent, » aut certè non nisi phantastica & illu» soria sunt hominum figmenta.

» Imò nonnunquam dæmon suis præs» tigiis homines, præsertìm mulierculas, » ita movere, aut earum phantasiam tur» bare potest, ut reverà credant se, nescio » quæ cum dæmone commercia habe» re, atque de his interrogatæ etiam fa» teantur, & ex ordine etiam cum quâ» dam certitudine, ut ipsis apparet, de» ponant mira sibi obvenisse, atque cum » dæmone tractasse, quorum tamen nihil » subest : quam in rem videre licet *ca» non.* 12, *caus.* 26, *quæst.* 5. Videri » etiam possunt, quæ habent *Abulensis in » Cap.* 13, *Genes. quæst.* 354, & *Caje-*

» *tanus in 2, quæst. 95, art. 3*, ap-
» parebitque quod non raro fallantur mu-
» lieres quæ credunt, & pro indubitato
» asserunt, se ope dæmonum ad cer-
» tum conventum sagarum translatas fuis-
» se, atque mira cum dæmone gessisse, &
» locutas fuisse. Quin & admodùm vero-
» simile est translationes istas ad sagarum
» conventus esse meras dæmonis illusio-
» nes, & muliercularum vehementer ima-
» ginationes : neque iis fidem esse adhi-
» bendam, nisi de earum veritate ex cæte-
» ris argumentis constiterit.

» A pluribus jam pridem observatum
» & notatum fuit, quòd illis in locis,
» ubi sagæ aliquo numero trahuntur ad
» judicia, & veluti tales condemnantur,
» ordinariè plures aliæ mulieres sibi per-
» suadeant quod & ipsæ sint sagæ; forti
» nimirùm imaginatione ex illis, quæ de
» sagis audiunt, cerebrum suum ita oc-
» cupant, ut sibi persuadeant se quoque
» illa aut fecisse, aut passas esse, de qui-
» bus priores fuerant accusatæ. Et hinc fit,
» ut per ejusmodi inquisitionem, saga-
» rum, ut creduntur, numerus mirè mul-
» tiplicetur; & ex adverso, ubi de sagis
» non fit per judices inquisitio, paucio-
» res inveniantur de hoc crimine sus-
» pectæ. »

Idem *Van Espen* §. *LVI*, ubi anteà ostenderat magica quandoquè sacris ac piis ceremoniis peragi, & sic imponere hominibus, prosequitùr sic : « Præcipuè » autem attendere debent pastores, & » allaborandum erit circa observantias » è quibus populus non tantùm sperat » conservationem, aut recuperationem » rerum temporalium, aut vitæ humanæ, » sed etiam emolumentum aliquod in ec- » clasticos, aut eorum Ecclesias, vel com- » munitates ex iis redundat. Incredibile » enim quàm facilè similes observantiæ, » etiam evidenter superstitiosæ, invales- » cant, &, cùm invaluerint, quàm dif- » ficulter aboleri queant.

» Dum similium observantiarum abo- » litio tentatur, imò vel in quæstionem » ducitur, mox clamores in populo exci- » tantur, quasi ipse sanctorum, vel imagi- » num, aut reliquiarum cultus, aut pro- » batus ab Ecclesiâ ritus abolendi essent, » nihilque nisi zelus avitæ religionis reti- » nendæ auditur, & auribus popularibus » inclamatur; quibus excitatus populus » clamat non secùs ac clamabat *Asiæ* » populus, *Magna Diana Ephesiorum*, » excitatus a *Demetrio* & sociis ejus, spe- » cie venerationis in Dianam, ejusve » templum, sed reipsâ quia *Demetrius*

» *argentarius, faciens ædes argenteas Dia-*
» *næ, præstabat artificibus non modicum*
» *quæstum : quos convocans*, ait sacer
» textus, *& eos qui erant ejusmodi opi-*
» *fices, dixit : Viri, scitis quia de hoc*
» *artificio est nobis acquisitio.* »

Atque hæc necessariò præmittenda erant, utpote ab autore prolata, qui etsi veram magiam admittat, doceatque hanc esse ab Ecclesiâ creditam & admissam, deesse tamen non potuit, quin ingenuè indicaret judicibus, quid sæpè simplicitas, imaginatio, avaritia, malitiaque interponant ad fallendum ; & quin eosdem admoneat ne fidem adhibeant clamoribus, rumoribus, & accusationibus, *nisi de earum veritate ex certis argumentis constiterit.*

Profectò animus meminisse horret illi, qui ad vagas tales accusationes, ex malitiâ sæpè & invidiâ natas, mox torturam adhiberi in processuum historiâ legit. Quos olim hæc, nunc saltem repressa, invaserit rabies, ne in eamdem relabantur, revocent sibi in mentem, quam *Part. II, Cap. I*, descripsi, horrendam *Atrebatum* historiam : legant tandem attentè mei toties laudati patris *Spei* declamationem *in Resp. ad Argum. IX, Dub. XLIX.* « Quod denunciatæ pleræque

» verè ſagæ fuerint, ait, non ſatis ex ſe-
» cutâ earum confeſſione convincitur.
» Quàm enim parùm tuta ſit fides a tor-
» turâ quæſita aliundè liquet. . . . Stulta
» autem eſt, ut dixi, quæcumque delata
» ream ſe non fateatur : cogetur enim
» tot tormentis, ut tandem ſuccumbat ;
» & ſi non ſuccumbat, comburetur viva,
» ut obſtinata. Repete quæ hinc indè ſu-
» pra dicta ſunt.

» Neſciunt ſanè omnes ii quid virium
» in tormentis inſit, qui vel commentari
» lucubrationes ſuas in quiete atque otio
» ſolent ; vel immiti animo ac feroce
» quis pœnarum ſit ſenſus experti un-
» quam non ſunt. Quos ego non ex ullâ
» malevolâ voluntate, ſed affectu optimo
» ac chriſtiano, ad majus ipſorum bo-
» num, & majorem conſcientiæ caute-
» lam præcarer, ut vel ad dimidium
» quadrantem Equulei aliquem guſtum
» ſumere, & velut prius ipſi prælibare
» vellé, in animum inducerent, quam ac-
» cederent ad odioſas has reorum cauſas,
» in Equuleo tractandas. »

Legant deindè eumdem autorem in *Rat. XVI*, *ad Dub. XX*, ubi inducit amicum ſuum, virum ornatiſſimum, ſic alloquentem magiſtratus : « Quid, inquit, » tam ſollicitè maleficos quærimus ? Heus

» judices ! ostendam extemplò ubi sint. » Agite, rapite Capucinos, Jesuitas, re» ligiosos omnes, & torquete; fatebun» tur. Si qui negant, repetite ter, qua» ter; fatebuntur. Si adhuc obstinati sint, » exorcizate, detondete. Utuntur male» ficio, obdurat eos dæmon; vos proce» dite : tandem dabunt manus. Tùm si » plures vultis, rapite Ecclesiæ prælatos, » canonicos, doctores; fatebuntur : nam » quid miseri illi, & delicati quî subsis» tent? Quod si adhuc plures vultis, vos » ipsos ego torsero, & me vos deindè. » Non diffitebor quod vos fassi eritis. Sic » omnes magi sumus.

Addant denique quod in *documento ad Dub. XXX*, idem *Speus* scribat. » Di» cam aliquid, quod audire cupiam, » quicumque aures audiendi habent, ma» ximè verò sacratiss. imperatorem, prin» cipes, eorumque consiliarios : Finga» tur enim de industriâ atrocissimum ali» quod *exceptum* crimen, quo noceri sibi » vulgus apprehendat; atque ejus deindè » dispersa fama, in id inquisitores sese » accingant iisdem viis, quibus nunc in » maleficiâ. Aio sanè : Si in *Germaniâ* » paulò post pauciores erunt ejus crimi» nis, quàm nunc magiæ, sistam me sum» mo magistratui & in flammas vivus in» jiciar. »

Audacter sanè hîc : sed cui totum mysterium iniquitatis patebat, cur ille molliter idem tectèque describeret ? Quantas non debeat Deo *Germania* laudes, quod Mariæ Theresiæ prudentiâ, sollicitudine, ac sagacitate, utì mox facta demonstrabunt, huic furori immanitatique tale frœnum injectum sit, ut in innocentium vitas sævire haud facilè possit !

Atque hæc de necessario *Estii* ac *Spei* monitu satis. Prætereo rudiorem hinc indè ac jactabundum posterioris sermonem ; prætereo corruptam ejus doctrinam moralem *de suidicio* ac *mendacio* ; siquidem *tacitò*, Christianorum hosti, plus fidei, quam Christianis autoribus adhibens, palàm edisserit & benè eos facere, qui injustè accusati, mox se reos ad primam torturam fateantur, ne ante rogum torqueantur pluries, & Ecclesiam martyrum choro eos Christianos adscripsisse, qui a *Nerone* de urbis incendio falsò accusati, torturarum evitandarum causâ se reos declarassent : hæc, inquam, similiaque, eò quòd privatæ autoris opiniones hæ ejusdem observationes demonstrationesque neutiquam infirment, omninò prætereo, redeoque ad quæstionem, quæ hujus digressionis causa erat ; scilicet siquidem ex factis evictum est magicos

morbos rariore casu dari, an certa signa dentur, quibus medicus a morbis naturalibus eosdem discriminet?

TERTIÆ PARTIS
Cap. III.

Evictum cùm sit, quamvis rariùs, nonnunquam tamen, morbos magicos dari, an eosdem medicus certis signis a morbis naturalibus discriminet? De triplici eorumdem curatione discussio.

§. I. Morbi magici vel naturalibus morbis consimiles, vel dissimiles sunt. Primùm de prioribus agamus. Morbi naturalibus similes, quos magia generavit, se eodem modo a principio habent, ut ii, quos naturali modo homines incurrunt. An magici morbi non carent passim causis præparantibus & excitantibus, quas medicus in morbo naturali inquirere, invenireque, & ut veras morbi causas declarare solet? Si ubique, & semper, medicus has causas inveniret, ita ut nunquam morbus naturalis extaret, quin unà ejus causæ patescerent, aliquod fundamentum haberemus, deficientibus omninò hisce causis, magiam suspicandi: verùm cùm in

morbis naturalibus vel patientiſſimo, accuratiſſimoque examine, nullæ prorsùs cauſæ non rarò detegantur, regula ex cauſarum defectu nulla cudi poteſt.

Quoad morbi decurſum, morbi naturales in felici aut infelici curâ quid habent quod naturæ vel temperatæ, vel fortiori, vel debiliori, vel proſtratæ, nihilque cum ſelectiſſimâ medendi methodo cooperanti naturaliter tribuere paſſim ſolemus omnes.

Quamdiù omnia in pejus meliuſve, pro conſuetudine curabilium, incurabiliumque morborum, peraguntur, non eſt quod quis quid magici ſuſpicetur. Imò neque tunc, quandò præter aſſimilis morbi morem inſoliti quid contigerit. Vel enim à medico ignaro rerum, vel ab empirico, vel a vetulâ medicatrice, medicina porrecta fuit, quæ vel maximam ſpem vitæ convertat in triſte letum: vel communi morbo ſolitum in modum progreſſo, latitans alicubi in corpore cauſa aut epileptica, aut apoplectica, aut podagrica, aut venerea, per morbum excitata, &c. ſymptomata, in hoc morbo naturali tam varia, impetuoſa, & extraordinaria excitat, ut credulus eadem miratus, mox cauſas ſupernaturales ineptè ſuſpicetur. Vomicæ pulmonis, eæque

aliquandò ingentes, medicos ægrotósque latentes, ut exempla docuerunt, homini fortè insunt: communis eum prehendit, mitis, facilis, neminem occidens febris: pus in vomicâ calore febrili corrumpitur, liquescit, putrefactum intra humores resorbetur, generat symptomata ejusmodi in hoc morbo nunquam visa, numerosa, horrenda, letifera. Invenire homines est naturæ adeò novercalis, ut cæterorum more nunquam ægrotent, & attonitos reddant ignaros hujus medicos. Dantur morbi verè naturales, sed tam portentosi, ut & in omnibus quos invadunt incomprehensibiles sint, & si viginti homines unà prehendant, singulares in singulis producant effectus. *Catalepsis* & *epilepsia*, testes sunto! Infantum, puerorumque morbi, aliquandò cum veris nos latentibus causis adeò mirifici sunt, ut certi quid in illis, si cauti agamus, non audeamus determinare; præcipuè, quandò causas in vitâ latentes in cadaveribus rimati, nullam aliquandò, cui morbus adscribatur, inveniamus. Non ad magiam, sed ad miranda corpora tunc confugimus, ad nervos, dico, quorum fabricam aliquatenùs, quorum usum a posteriore, quorum agendi patiendique modum, crassâ quadam con-

jecturâ in nostris musæis egregiè, in contemplandis morbis ipsis imperfectissimè assequimur. Quin & in multis adultorum ægritudinibus, planè inexplicabilibus, idem nobis asylum patet. Sic ut nihil unquam magici hîc suspicemur.

Quid plura? Ipsa non rarò imperscrutabilis est natura rerum, ut in medicis, ita & in reliquis rebus creatis; ut vel ideò ad causas supranaturales confugere curtæ suæ suppellectilis gnaris non liceat. Dehortanturque nos ab hâc temeritate experimenta rerum quæ olim habebantur longè superantes naturam, jam autem demonstrantur & in gremio naturæ sitæ esse, & ejus solius potentiâ perfectæ.

Nulla ergo ratio in omnibus enarratis casibus extat ad magiam refugiendi.

Addamus ad hæc omnia hominum vafritiem malitiamque, quam, qui decipi nolit, nunquam ex mente deponat. Quotiesne contingit, pudet me referre, ut unica, eaque contemptibilis puella, parentes, magistratus, medicos, longâ dierum, mensium, annorumve serie, turpissimè decipiat, antequam infandum detegantur facinus! Hæc in *Parte II* enarrata sunt. Studeamus ergo astutiores in fuco detegendo versatioresque fieri, quàm illi

vafri homines in eodem celando sunt. Dolus sæpè patescit cunctando.

Cautos præterea nos esse oportet, dum, etsi non ægri ipsi, alii verò, ægros incantatos esse, & eo quidem incantatore, eave incantatrice, publicè, turmatìmque clamitant. Pronum vulgus est, si, v. g. puer quis ægrotare ceperit, ex quo difformis, horrida ac edentula mulier, aut in ædibus, aut iisdem vicina fuerit, ut eamdem sagam habeant, deferantque ad judicem: morbo autem aut pejorante, aut insuetiùs decurrente, ut in carcerem vetula trudatur, tormentorum ferocitate se fateatur incantatricem esse, & immeritum rogum conscendat. Contigit ut fœmina, cujus infans ægrotabat, fœminam vicinam, quâcum habebat simultates, ut sagam quæ infantem suum incantasset, ad judicem deferret; hæc verò in carcerem conjecta, torturisque victa, se magiæ ream fateretur & mortis damnaretur supplicio. Et hanc fœminam, & duas alias rogo destinatas, anno 1758 mense Octobri, *Augustissima Imperatrix & Regina nostra, vera innocentium protectrix, & universæ Patriæ mater*, jusserat, executione suspensâ, ex regno *Croatiæ Viennam*, idque in meum Nosocomium trans-

ferri : lecto processu, & infortunatis hisce, barbariæne dicam, an ignorantiæ victimis, interprete *Croato*, rigorosè examinatis, *Ill. Baro Van-Swieten*, egoque, a morte immeritâ omnes liberavimus, ad nostram relationem, sententiam mortis rescindente Augustâ (*a*).

(*a*) Dudum erat, quòd partìm in ipsas ceremonias magicas, partìm in falsos magiæ rumores, partìm etiam in præmaturam magorum ac sagarum sententiam capitalem, sapientissima decreta dederat Augusta. Primum dedit anno 1753 contra nefandas *Christophori* & *Coronæ* preces, ad quas orandas, ut decretum habet, malè feriati homines bonorum civium crumenas exhauriunt, quibus persuadere conantur ejusmodi precibus, exorcismis, expulsionibusque spiritûum, absconditos thesauros effodi: quæ omnia S. M. declarat divinis, politicisque legibus, mortis punita supplicio *aliquandò* fuisse.

Alterum anno 1755 contra *magiam posthumam*, ac si cadavera in cœmiteriis pravo spiritu agitarentur, quæ ob id ecclesiasticorum mandato igne cremabantur. Porrò jussit Augusta, si in posterùm ejusmodi rumor denuò spargeretur, negotium judici politico tradendum esse, ut, experto physico ille adjutus, illud accuratè examinaret.

Tertium anno 1756 contra sententiam mortis in *Joannem Po in capite superstitionis & respectivè magiæ* latam, & illatas ejusmodi hominibus torturas. Jussit Imperatrix augustissima a peculiari judice loci processum ad justitiam supe-

Nihilominùs morbi dantur, qui nullam magiæ poſt ſe relinquunt dubitationem. Si in quopiam morbo, eoque extraordinario potiſſimùm, in lecto, in pulvinaribus, in crinibus, plumiſve lectorum, in paleâ, in conclavi ægri, ejuſdemve ad lacunar, oſtia, liminave inveniantur characteres, imagines, oſſa, crines, ſemina radiceſve plantarum, & quidquid ejuſmodi quiſquiliarum plus eſt; ſi deindè, his ablatis, aliudve in cubiculum, aut ædes, tranſlato ægro, redeat repentina ſalus, ut *primâ Parte*, *Cap. III*, exempla monſtrarunt, haud eſt quod de magiâ dubitemus. Utì neque dubitabimus, ſi vel æger, vel ejus familiares eò impietatis devenerint, ut quemadmodùm in exemplis habuimus, magum in opem vocent, quo agente, morbus citra alia auxilia mox fatiſcat. Vel etiam ſi inſecta & animalia quæ de corpore humano prodire non ſoleant, ſi lapides omnis generis, ſi metalla, acuta vitri ramenta, cul-

---

riorem, ab hâc autem ad ſupremum juſtitiæ tribunal impoſterùm mitti, ut ipſa deindè poſſet in dato caſu ſuam promere voluntatem. Edicta hæc tria reperire eſt in laudato *de magicis cultibus Tractatu* viri conſultiſſimi *De Cauz*, ad finem operis.

tri, contorti crines, piceæ maſſæ, oſſa, majora ea & mole, & figurâ vario è corporis loco ejiciantur, abſque ſummâ partium, per quas tranſeunt, dilaceratione & deſtructione, hoc ſupra naturam, magicumque eſſe ſpontè fatebimur: modò priùs, experimentis edocti, probè conſideraverimus quantùm & quòuſque partes variæ humani corporis ſeſe ampliari, citra vel ullam, vel notabilem dilacerationem, ſinant; exploratumque diligenter fuerit num fraudi ulli, artificioque nullus ſubſit locus.

Quæri poteſt an morbi magici ſoleant perpetuò modo extraordinario infligi, ſic, ut nunquam pares iis ſint, quos gignere cauſæ naturales cónſueverunt? Hoc omninò negat *Daniel Sennertus*, *Libr. VI*, *Part. IX*, *Cap. V*. Nec, cur quis affirmet ratio apparet; cùm ille callidus, & tam vaſti ingenii ſpiritus, corporis naturæ proprietatumque gnarus, probè intelligat quis naſci morbus hiſce, quis aliis cauſis naturalibus poſitis debeat. Maximè ſi, ut ſupra, cum *illuſtriſſim. Boſſueto* ſtatuamus diabolum, qui corpus integrum movere poteſt, etiam ejuſdem humores vario modo in motum agitare poſſe. Sed neque hoc in curatione aliquam difficultatem importat, ut mox videbimus.

Magico itaque morbo cognito, quid medico, ſi ſpontè non ceſſet, agendum? Quænam ejus curario? Curatio prima *divina* eſt, altera *naturalis:* quòd autem *magica*, ut tertia, hîc a nonnullis adjungatur, doleo horreoque, & utrum illam inſalutatam præteream, an refutem, dubius hæreo? Præcipuus ejus autor impius *Paracelſus* eſt, magicus ipſe, ut concludere debemus ex *Tom. II* oper. ejus, in *Libro de Philoſophiâ Sagaci majoris & minoris mundi, a pag. 522, ad 644*, & in *Aſtronomiâ magnâ, a pag. 647, ad 718.* Sequor hîc editionem meam, ſcil. *Geneveſem anni 1658, in Tom. III, in-fol.* Infidus & periculoſus ſcriptor, qui impietates ſuas religiosâ larvâ texit: vir qui non aliud elogium meretur, quàm quò ejus veluti funebrem orationem terminavit ſummus *Boerhaave in Parte I Chem.* ubi narraverat *Paracelſum* ſuis dictaſſe auditoribus, ſi Deus juvare nollet, ſe conſulere diabolum velle; quin opem ſuam ægro recuſaſſe, quod ad cœleſtem medicum in ſacrâ ſynaxi confugiſſet: « Cæterùm » *Paracelſus*, inquit, dein linguam latinam oblitus, vagus ſemper, nuſquam » conſtans, aſſiduè temulentus, nec veſtes mutans, ne lecto quidem utens, » *Salisburgi* tandem in diverſorio pu-

» blico, poſt morbum aliquot dierum,
» viribus deficiens, mente bonâ, mori-
» tur, anno 1541, ætatis 47, quum ſolo
» *Elixirio proprietatis* annos ſibi *Mathu-*
» *ſalemi* promiſiſſet. »

Patientiam habuit egregius *Sennertus* ejus refutandi impietatem in curâ magicâ præſcribendâ; cui lubet, is hunc adeat, mihi autem condonet quod, cùm *Sennertus* ſufficienter hoc præſtitit, animas timoratas nefandorum recenſione non offendam. Satis abundèque refutatus eſt cumulo argumentorum quæ SS. Biblia, doctrina Eccleſiæ, ac ſanctorum patrum, doctorum, interpretumque ſententiæ, nobis ſuppeditarunt.

Curatio naturalis permiſſa, imò debita eſt, quâ medicus ſymptomata, per magiam excitata, iis remediis quæ iiſdem, naturali modo exortis, proficua eſſe deprehenduntur, minuere ac tollere ſatagat. Hic neminem, quos conſului, autorum contradicentem inveni: neque in verbo Dei, Eccleſiæ doctrinâ, patrumque ſententiâ, quod obſtaret, reperi. Tutò ergo medicus naturalem ſuam methodum præternaturali morbo accommodet.

Verùm cùm medicorum ſit in morborum cauſas agere, eaſque, ſi poſſint, tollere, quæritur num ipſis familiæque li-

ceat inquirere ſigna, characteresque magorum, *eoſdem autem inventos, tanquam veras morbi cauſas, tollere ac delere?*

Primo intuitu nihil difficultatis, aut habere, aut habere poſſe hanc quæſtionem diceremus; ſiquidem id ad officium medici omninò pertinere videtur, ut hîc idem faciat, quod in morbis aliis eum facere jubent artis ſuæ præcepta. Atque aliquos non ignobiles theologiæ profeſſores hoc non modo approbare, ſed jubere apud *Eſtium* video, *Cajetanum*, *Henricum a Grandavo*, *Scotum*, *Navarrum.*

At verò haud ita viſum omnibus eſt. Deterruerunt multos ab hâc opinione viri ſancti, *Hilarion* abbas, & Eccleſiæ pater *Hieronymus. Hic* enim in vitæ *illius* hiſtoriâ narrat adductam ad illum fuiſſe, quam dæmon obſedebat, puellam; dæmonemque apertè declaraſſe, quòd non niſi vi maleficiorum coactus hanc puellam obſediſſet, quòdque recedere ab eâdem non poſſet, ni priùs, quæ locata ſub ædium limine ſigna erant, tollerentur: porrò vetuiſſe *Hilarionem* ne in illâ quis inquireret, ſolis autem fuſis ad Deum precibus dæmonem expuliſſe: « Ne, in-
» quit *B. Hieronymus*, aut ſolitis incan-
» tationibus receſſiſſe dæmon videretur,

» aut ipsi sermoni ejus accomodasse fi-
» dem. » Undè Estius : » Igitur tàm *Hila-
» rionis*, quàm *Hieronymi* sententia, per-
» quirere & tollere signum, ut cesset no-
» cumentum, ad incantationem pertinet.
» Et certè non ad miraculum divinum
» *rectè* confugisset *Hilarion*, sed reme-
» dium facilè ac promptum de signis amo-
» vendis, si licitum erat, præscribere de-
» buisset, ne Deum tentare videretur;
» præsertìm cùm signa jam spontè indi-
» cata essent. Nam, ut ait *Augustinus*, *Li-
» br. XXII contra Faust. Cap. XXXVI*,
» pertinet ad sanam doctrinam non ten-
» tare Deum, quandò habet homo quod
» faciat. Postremò apud *Gratianum 33*,
» *Quæst. I, Cap. Si per sortiarias*, ubi
» enumerantur legitima remedia malefi-
» cii, nulla fit mentio requirendi ac des-
» truendi signi : nec quisquam alius ve-
» terum Ecclesiæ patrum invenitur qui
» de remedio hoc, tanquam licito, lo-
» quatur. »

At verò sunt qui putent sanctos viros in hujuscemodi casibus modo planè extraordinario agentes, non dare semper regulam agendi : non omnia eorum facta nobis, ut imitanda, proponi : vel necessariæ scientiæ defectu, vel zelo imprudenti aliquandò nonnulla dixisse,

fecisseque, quæ imitati peccaremus: adeòque videri sanctum Anachoretam contra regulam, mox allatam *Augustini*, omninò peccasse.

Licèt hanc sententiam, si cum modestiâ & reverentiâ proponatur, rejicere non possimus, ne tamen eam Beato *Hilarioni* accommodemus, nos impedit miraculum expulsionis diaboli, quod Deus, sancto orante, fecit. An non approbavit sic modum agendi *Hilarionis*? An alias ejus preces exaudivisset?

Hinc *Estius*, & ex *Estio Sennertus*, ut quæstionem ritè caperemus: « Nulla » quæstio est, inquit, quin in contemp» tum, ac detestationem magicæ supers» titionis, ipsiusque diaboli, liceat ma» leficii signa tollere, destruere, atque » abolere. . . . Sed in quæstionem verti» tur an ejusmodi signa destruere, vel » amovere liceat, hâc spe & intentione, » ut dæmon nocere desinat, atque omne » nocumentum cesset? »

Si nunc attentè perpendamus *Estii* argumenta affirmantia & negantia, quæ pro suo candore utrinque profert: si deindè *Sennertum*, virum certè ex doctissimis medicis, qui unquam scripserunt, undè haud immeritò *Vratislaviensium*, quin universæ *Germaniæ Galenus* audiebat,

diligenter evolvamus, in *Prax. Libr. VI*, *Part. IX*, *Cap. VII & VIII*, ferè convincimur de periculo probabili, ne in hiſce ſignis auferendis major minorve communicatio cum magiâ ac dæmone inſit ; quidquid argumenta ſecùs opinantium quantumcumque plauſibilia, in contrariam ſtatuere annitantur. Ita ut exemplum B. *Hilarionis*, de eoque S. *Hieronymi* ſententia, tutiorem proponere partem multis viſa ſint, tranſierintque apud eoſdem in normam agendi.

Ergone judicabimus rem deciſam eſſe ? Si liceat, imò oporteat, juxta medicinæ leges tollere morborum magicorum effectus, cur minùs licebit oportebitque tollere cauſas ? Aiunt vix videri quempiam poſſe eas cauſas, ſigna nimirùm, tollere, quin ſeſe intermiſceat pacto, quod cum diabolo maleficus iniit : « Quod pactum, ait *Eſtius*, eſt hujuſmodi, ut, » ſigno poſito, nocere diabolus incipiat ; » manente, nocere pergat ; ablato, deſinat : ergo ſocietate quâdam diabolo » conjungitur, in pactis & ſacramentis » ab eo inſtitutis. » Ita & *Sennertus*.

Verùm enim verò, inflictus a mago morbus ſui cum diabolo pacti præcipua pars eſt : citra hunc morbum, pactum nihil eſt ; eſt unicus pacti ſcopus. Hanc

pacti præcipuam partem, intentionemque, ſi auferre mihi liceat, videtur omninò mihi licere, idque a fortiore, primam tollere pacti partem, ſigna ſcilicet & characſtes, quorum vi cætera ſequuntur, &, quibus ablatis, morbus aut protinùs, aut feliciùs ſaltem curabitur.

Equidem ſuadent nobis, idque ſapienter prudenterque, ad Deum ut potiùs confugiamus, qui ſe ſolùm *irrita facere divinorum ſigna* poſſe & velle per *Iſaïam* dixit, quam ut ſigna eâ ſpe tollendo, ut nocere diabolus ceſſet, nos in periculum communicationis, & veluti erga eum ſubmiſſionis, atque venerationis, ut nocere ceſſet, conjiciamus. Verùm enim verò, ſancti reges Judæ *Ezechias* & *Joſias*, idololatriæ, operis diaboli, fundamenta eruturi, *prior* excelſa, lucos, ipſum æneum ſerpentem, qui jam idololatrico cultu coli videbatur, *IV Reg. Cap. XVIII; poſterior* omnes *Bahali* ſtatuas, & nemora, quibus dæmon, veluti ſignis pacti ſui cum ſacerdotibus falſiſque prophetis utebatur, *IV Reg. Cap. XXIII*, deſtruxerunt combuſſeruntque. Si religioſus paterfamilias, qui in recens empta cum universâ ſuppellectili domo, mox a ſe, ſuaque numeroſa familia inhabitanda, ſtatuas & picturas, impudicitate infames, reperit,

haſce

hasce omnes, tanquam signa & instrumenta, & characteres, quibus diabolus innocentes alioqui intuentium animas occidit, existimans, aufert, destruitque: juxta sententiam *Estii* & *Sennerti*, peccavit hic paterfamilias religiosissimus, peccarunt magis sancti duo reges, quòd non præmonito populo, ne hisce signis seduci se sineret, se totos in preces effuderint, ut, is qui *signa dæmonis irrita facit*, suâ gratiâ efficeret, ne unquam intuentium quis in idololatriam impudicitiamve præcipitaretur. Tantùm autem abest ab hâc illorum opinione, ut potiùs hi *Judæ* reges ipso Spiritûs sancti elogio celebrati fuerint; & ut nemo sit, quin ejusmodi religionis virtutisque amantem patrem summis laudibus efferat, cæterisque proponat exemplo.

Itaque si ego tollo signa magorum, æquè parùm de venerando diabolo, cum eoque communicando cogito, quàm aut reges illi, aut hic paterfamilias; idemque quod illi hisce destruendis in salutem animarum fecerunt, ego in salutem corporum facio, Deum per omnia veneratus, nihilque de diabolo sollicitus.

Ad hoc argumentum respondeo, esse magnam in harum historiarum cum magiâ comparatione differentiam, ob idque eam-

K

dem minùs ſtringere ac probare. Idola; ſerpens æneus, lucus idololatrici, ſtatuæ picturæque impudicæ, quibuſcumque ſæculis perſtitiſſent, perpetua fuiſſent angeli prævaricatoris ad mortalium perniciem inſtrumenta. Faba verò, oſſiculum, crinis, mirifica litterarum diſpoſitio, tranſpoſitioque, & quidquid ejuſmodi nugarum plus eſt, nihil ex ſe, quo noceant, poſſident. Et, ſi etiam concederetur quod vim nonnullam vi facti cum dæmone pacti nacta eſſent, hanc pacto finito amitterent forentque, quæ olim, indeterminatæ res innocuæ, peccandique nemini cauſæ. Iniqua ergo, quæ horum cum illis fit, comparatio eſt.

At verò dixi mox: *Si etiam concederetur, quòd vim nonnullam vi pacti nacta eſſent:* velim hoc unicè a me dictum eſſe credi, ut ad momentum urgerem argumentum. Quippe vi tali omninò privata hæc corpora eſſe, & eadem, ne per diabolum quidem donari, minimè dubius aſſero. Laudatos enim toties viros, *Eſtium*, *Sennertum*, cæteroſque de hâc re ſcriptores, ſi conſulamus, unam omnium ſententiam deprehendimus eſſe; primò, characteres & ſigna hæc ex ſeſe facere nihil: dæmonem unicè uti, ut ſeducat maleficos, magis irretiat, arctiùs ſibi devinciat,

perpetuòque ſuſpenſos atque a ſe dependentes reddat. Secundò, ſpiritum hunc fraudulentum malitiam ſuam, amotis etiam hiſce ſignis, magno mirante & obſtupente, perfeciſſe. Tertiò, eumdem ſæpè maleficos ſuos fallere ſic, ut ſignis ex pacto poſitis, hi efficiant nihil; & ut quemadmodùm *Part. II, Cap. III*, licuit, ex viginti pactis vix duo triave expleat. Id quod, vel Deo diabolum in opere nonnunquam impediente, vel diabolo magos ob diffidentiam puniente, contingere arbitrantur.

Quæ cùm ita ſe habeant, ſi *hinc* periculum intueor, quod incurro Deum graviſſimè offendendi, proximumque *ſcandaliſandi*, ubi ſpe melioris morborum curæ ſigna magica obſtulero; *illinc* autem de eorumdem ſignorum vanitate convictus ſum; tutò concludo me & ſignis ſuo loco relictis nihil perdere, & nullum cùm peccati erga Deum, tùm offenſionis erga proximum incurrere periculum.

Ex omnibus hiſce ſpontè conſequitur, ut, ſi aliquandò plebs ignara magici quid ſuſpicari in morbo videretur, medicus omni induſtriâ & attentione cavere debeat, ne ſuſpicio in aſſertionem, & in aſſertionis abire conſequentias poſſit. Sin verò tale quid vel ipſe ſuſpicaretur, cautus ſit ne, vel verbis, vel geſtis, id in-

dicet plebi. Cùm enim hoc in caſu non niſi cura *naturalis*, & cura *divina* ſuperſint, ſigna autem tollere inutile, imò nefas, ratio nulla eſt populum ſuſpicionis indicatione inquietandi. Eo enim certius nihil, quàm quod medicorum vel negligentiâ in populi ſuſpicione refutandâ, vel imprudentiâ in ſuî ſuſpicione ipſi pandendâ, in furias agere integrum pagum oppidumque poſſit.

De tertiâ curatione curandorum magicorum, ſi qui fortè darentur, morborum, divinâ ſcilicet, potiùs nihil, quàm non ſat digna dicam. Nihil opportunius, nihil decentius, nihil obligatius eſt; cùm *Deus in omnibus omnia ſit;* cùm ſolus ille *opera diaboli omni ex parte deſtruat;* cùm ille quoque, ut mente corporeque valeamus, ſolus ſufficiat. Undè oratio aſſidua cum fide in ejus potentiam, cum ſpe in ejuſdem per Jeſu Chriſti merita miſericordiam, tàm in hâc, quàm in omnibus vitæ noſtræ calamitatibus atque negotiis, ut unica noſtra occupatio eſſet, quandiù degimus *in hâc lacrymarum valle*, voluit, præcepit, exegitque a nobis. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua: & invoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* Pſ. XLIX, v. 14, 15.

FINIS.



